JOHANNIS NICOLAI PECHLINI,

Med. D. P.
Serenissimi Cimbriæ Principis Reg. Archiatri,

THEOPHILUS BIBACULUS

Sive

De

POTU THEÆ

DIALOGUS.

FRANCOFURTI,
Impensis Johannis Sebastiani Riechelii, Bibliopolæ Kiloniensis, Anno M DC LXXXIV.

Perillustribus & Generosissimis
DOMINIS
D. JOACHIMO ab ALEFELD,
Hæreditario in Bockhagen,
Præfecto in
TRITTAUW & REINBECK.
D. FRIDERICO WILHELMO de GÖRTZ,
L. B. de SLITZ.
Reverendissimi ac Serenissimi Cimbriæ
Principis Regentis
Consiliariis intimis.

Dominis ac Patronis meis
pl. observandis.

THEAM *Excell^tiis V^is propino, sed sobriam illam & modicâ elogiorum*

 pom-

pompâ triumphantem, quam cum alii præpropere nimis laudassent, vituperassent alii, libratis partium studiis mediam tenere viam satius duxi. Nempe est hic Mortalium, imo & Medicorum, error, nova quæque & subita & peregrina, velut de cælo lapsa, extollere, & cum in uno alteroque remedium feliciter cesserit, universæ statim morborum familiæ velut Panacæam quandam destinare, mox iterum, ubi præcipiti famæ eventus non respondet, elogia in crimen vertere, & quod in uno alteroque casu fidem non servarit, in totum, velut damnosum, proscribere. Atque illud quidem, ut vul-

vulgo & Idiotarum ſectæ condonari po-teſt, ita in Medicis ineptum valde & culpæ affine. Adeo res eſſet memoriâ digna, ſi quis in purgandis iſtis Cauſarum atque Univerſalium fallaciis, quibus Medicina tota oppleta eſt, operam collocaret ſuam; at cum tantæ errorum moli extergendæ vix Hercules ſufficiat Averruncus, in paucis quibusdam notisque caſibus experiundum fuit, quid exactior trutina valeret. Certè, cum THEAM quoque eadem fortuna exceperit, & invidendæ pridem laudes apud nonnullos in calumniam tranſierint, quas habui æſtatis horas ſubſecivas, examini herbulæ impendere, & quid in elo-

 giis

giis iſtis eſſet ſolidi, quidque inanis, deliberatâ ratione perpendere æquum cenſui; ubi ſi, quid in utramque partem nimis dicitur, detraxero, & ſuum per me conſtiterit Herbæ pretium, aliquem operis mei fructum percepiſſe me putabo. Itaque, cum potus cauſa agitur, non ad nudam tantum Herbam, ſed & aquam eamque calidam, ſed & utendi formulam aliasque bene multas circumſtantias & individui rationem attendendum fuit, quod cum omnes non ex æquo fecerint, utique mirum non eſt, illos in cauſæ fallaciam impegiſſe. Vos autem, Mæcenates optimi, in re quidem levicula, ſed ad ſanitatem ſpectante, judi-

cium,

cium, quo valetis maximo, interponite, & , si tanti sum, conatus meos nihil immodici spirantes auctoritate vestrâ atq; præsidio tuemini, quin ostendite, esse inter sonantes lituos tristeque belli choragium, qui honesti & studiosi ocii habeant rationem, interque cultores suos admittant, quibus affectata quæque & turbida sordere solent. Valete & Serenissimi Principis ac Domini nostri bono feliciter rem gerite.

Excell.arum V.rum

Slesvici
4to Eid. Februarias
CIↃ IↃC LXXXIV.

Devotissimus Servus

Joannes Nicolaus Pechlin.

Monitum ad Lectorem.

Absentiæ meæ culpâ factum est, B. L. ut minus accuratè omnia expressa sint typis, & aliqua irrepserint vitia typographica; alibi enim demtæ syllabæ, alibi adjectæ, jam transpositæ malèque distinctæ sensum orationis & legentis aviditatem morantur. Reperio autem semel atque iterum *est* pro *&*, *&* pro *at*. Conspectiora autem in illis paginis, quarum mihi ante absolutas operas copia facta, Pag. 3. Vers. 5. *alis* pro *aliis*. p. 13. v. 17. *huic* pro *hinc*. p. 15. v. 11. *libi* pro *libidi*. p. 23. v. ult. *Chamædriis* pro *Chamædrys*. p. 24. v. 20. *servet* pro *servat*. p. 25. v. 14. *strictio* pro *adstrictio*. p. 26. v. 10. *comprobet* pro *comprobat*. v. 25. *ab* pro *à*. p. 29. v. penult. *potenti* pro *petenti*. p. 32. v. 13. *juvent* pro *juvant*. p. 33. v. 5. *rupicolarum* pro *ruricolarum* v. 9. *Natuæ* pro *Naturæ*. p. 34. v. 19. *intelligat* pro *intelligas*. p. 35. v. 26. *Hordio* pro *hordeo*. p. 37. v. 9. *lege* pro *leve*. p. 38. v. ult. *designebat* pro *designabas*. p. 40. v. 18. *innoxia* pro *innoxiæ*. p. 41. *Thea* pro *Theâ*. p. 42. v. 22. *Natio* pro *Ratio*. p. 46. v. ult. *antium* pro *rantium*. p. 48. v. 4. *expromunt* pro *expromant*. v. 9. *efficacius* pro *efficaciorem*. p. 49. v. 4. *pretio* pro *in pretio*. p. 54. v. 21. *meriri* pro *metiri*. p. 56. v. 2. *dum* pro *dandum*. v. 16. *videndum* pro *vivendum*. v. 24. *festum* pro *infectum*. v. 27. *invidendos* pro *invidendas*, &c. quæ æquitati legentis committuntur, cum ea ante non viderim, quam perfecto jam opere. Vale.

JO-

JOANNIS NICOLAI PECHLINI

THEOPHILUS BIBACULUS,

ſive

DE POTU THEÆ

DIALOGUS.

COnvenerant in Triclinium diverſiſſimæ vitæ hoſpites,&,ut fieri ſolet,ubi invicē ſibi ſunt ignoti, diuturnius inceſſerat ſilentium. At non amplius ſui potens unus ex turbâ, tuberoſæ frontis Senex, neſcio quid promittens, & de moribus, quod videbatur, ſollicitus, eorum exhibere ſchema tantùm non laborabat. Animadverterat hoc, qui aderat, Juvenis nitidus & calamiſtratus, & qui affectatâ morum mollicie præſentis ſeculi ingenium adſerere velle videbatur, adeo ille in omnem partem inconſtans peregrinæ levitatis plurimum oſtendebat, jamque minis ad vindictam compoſitis, in illâ fortunarum armatâ mole, objurgaturus Senem erat, cum Moderatus, qui & ipſe intraverat, noli, inquit, Capito, hoc nomen Seni impoſitum, de ſeculi moribus decernere, quando & vindices adſunt improbitatis & manifeſti laudatores. Continuit ergo ſe Capito, & Moderati verbis obſecutus, non ſinam, inquit, per me cuiquam hic fa-

ſtum fieri; video enim temporum illam inſaniam nimis esſe inveteratam altiusque radices egiſſe, quàm ut proletario ſermone expugnari poſſit, adeo inutilem eſſe laborem, qui in rem conclamatam impendatur. Quid autem, ubi nec Principum Reſponſis, nec S. Conſultis, nec Plebiſcitis legum tum veſtiariarum tũ victuariarum auctoritas defendi poteſt, an verbis ego meis remedium huic malo adferri posſe ſperem? O factum bene! inquit Moderatus, quamvis enim de levitate temporum moribusque exulceratis colloquendi pia ſit & unica voluptas, tamen, ubi alii adſunt iique novi homines, fortè etiam, qui perditam vivendi conſuetudinem vultu inceſſuque fateantur, ponendum eſt illud ſupercilium, nec temere periculoſæ cenſuræ exſpectandus eventus. Vides autem, ut nunc ſeculum eſt, non ratione primùm, quod ſapientis eſſe Comicus ducebat, ſed armis, non legibus, ſed ferro ancipiti, ſed auro argentoq;, experiundum eſſe; dominari nunc viros fortes & Nimrodicæ fortunæ æmulos, adeo niſi in nervum erumpere velis religioſum impetum, comprimendam eſſe oris licentiam. In hoc ſermonis æſtu dum Moderatus incedit, juvenis ille volubili membrorum motu triclinium pererrat, omnes rimatus angulos, & adeo hìc, inquit, ſunt hoſpites, ut nemo ſit, qui veram vivendi formulam Gallicanasque elegantias vel exemplo cõmprobet? Quin ergo tu Dama, & ad ſervum converſus, explica, inquit, ſarcinulas, apparatumque illum crateresque fictiles & quidquid eſt inſtrumentorum, profer. Facit imperata Damas, vaſculaque omnia ritè diſponit: dum interim calidam adferri Herus jubet, eamque Herbæ cuidam exoletæ & neſcio quid referenti ſuperfundit. At vix momenti requies, cum vaſculo

lon-

longioris promuſcidis, in hoc enim infuſa herba fervebat, aquam exſtillaret, non puram amplius ſed foliorum viriditate ſaturam. Hanc, ut ab aheno calebat, ori Juvenis admovet & ſorbillando haurit totam, nec mora, quin alia ex aliis vaſcula, numero trecenta, eâdem aviditate biberet. Mirati omnes juvenis in bibendo conſtantiam, unus etiam Capito inelegantem ſorbillandi morem pertæſus; etiam hoc, inquit, peregrinam urbanitatem commendat, non bibere amplius, ſed ligurire, ſed ſorbillare, credo, quò gulam diutius falleret tranſitoria voluptas. Ibi Juvenis, & tu quidem, inquit, oppidò inexercitatus es, qui neſcis pridem ex Aſiâ ad nos migraſſe ſalutarem bibendi modum. Potus hic eſt, Indorum, Chinenſium Japonenſiumque unicum delicium, quo vitam ſuam non tantùm uſq; tueantur incolumem, ſed &, ubi de rebus ſeriis decernere volunt, ingenium acuant, ſemper & in orbem ſobrii. Cui Capito, eſt hoc fortè, inquit, ἀθανασίας poculum, quo tantopere exſultant Chinenſes, & cujus nobis copiam fieri impensè hactenus deſideravimus. Felices ergo tam utili commercio Europæos; qui cum pridem omnes ſollicitaverunt potionum formas, nunc tandem reperiſſe viſi ſunt, quod ætatem ferret, & cum quo ipſi conſeneſcerent potantes. Hìc non malè conjectas, inquit Juvenis, eſt enim The Herba planè divinitus data, quâ jam inde à multis ſeculis vitam ſuam produxere Sinenſes etiamnumq; degunt incolumes, non Podagra, non Calculo, non Scorbuto non aliis infeſtati diuturnis morbis. Ad hanc vocem conſternatus Capito, The, inquit, nominas, feralem literam, non vivorum amplius, ſed infelicium & damnatorum propriam? Quid autem aliud hoc eſt, quam ad Theæ conditu-

ram, mortem in ollam aut conjicere aut conjectam deprehendere? nisi fortè Rhetores hoc imposuisse nomen videntur Antiphrasi usi. Ad hæc alter, difficiles, exclamat, nugas, quasque jam pridem cum nucibus reliquisse satius erat, quàm in criminis argumentum rapere. Nempe hæc putida grammaticorum subtilitas plerasque scientias infamavit redditque hodie suspectas; quod si Gallicâ me humanitate exciperes, sermoneque minime quæsito, ut nunc sunt mores, ecce paratum, qui tecum in arenam descendat & paria faciat. Ad quod Capito, nolo, inquit, à me grammaticæ repetas scientiam, qui illam, postquam ad severiora animum applicui, minimè cognovi; quid quod satius sit & ἀγράμματον & ἀναλφάβητον esse; quam grammaticum, & cum sis, ostendere te esse; adeo nunc frigent studia illa, olim nec Imperatoribus nec viris fortibus detestata. Habet certè Grammatistica quoq; suos flosculos, quos nemo doctus temerè adspernetur, sed quibus condiri tantùm sermones debent, non farciri. Habet suum Philosophia acumen, suos morum disciplina sales, à quibus nec viri graves in loco abhorreant; verùm & illis moderatè & sobriè utendum, ne consuetudine vilescant, aut cum captanda est gratia, periculum capiti arcessant. Tu ergo, qui levia recusas, alia accipe & digna moribus tuis. Theam nobis propinas, ignotam prioribus seculis herbam, & quod magis est, alieni & remotissimi orbis hospitam, quasi & hic metueres, ne vernacularum indigenarumque rerum æstimatione animi quædam simplicitas proderetur. An ergo Europa, illa cæteris partibus & cultior & ditior, alienum orbem invadet, ut universi hujus bonis sola fruatur. Quid autem est, si

hoc

hoc non est, Naturæ inquilinæ sterilitatem aut suam ipsius levitatem accusare. Enimvero, nisi seria recusas, sic censeo, Naturam, ut est sui custos, cuique terræ sufficere, uti certa alimenta, ita & remedia, &, ut sunt hominum mores & valitudo, ita esse eam copiosam, mediocrem, inopem, omnibus tamen præbere, quod tum ad alendum, tum sanandum sit satis; & esse hanc mirificam Naturæ vim, quam scriptis asserere viri prudentes non dubitarunt. Inde enim Bartholini Medicina Danorum domestica; inde Beveroviciii Bataviæ Αὐταρκεία; inde Philiberti Guiberti Galli Medicus Domesticus, inde & Guferi cujusdam Memmingensis & Beckeri Regiomontani & Rulandi & Prævotii & Culpeperi Angli, operæ profluxere; qui omnes hoc agunt, ut ostendant inesse domi natis indigenisque rebus, etiam vilissimis, vim longè copiosissimam & penè incredibilem. Quid quod exemplo sint ipsi Barbari, consulere sibi Naturam & habere passim, quod morbis respondeat vernaculis, cum sua nobis indulgeant, nostra non tantum negligant, sed & oblata respuant. Jam, ne longè excurramus, annon nostro ipsorum documento constat, suffecisse olim patriam Naturam morbis, quos fecerat, sanandis: annon serò & subeunte luxu adoleverunt peregrina quæque, & quemadmodum ingluvies diversissimos cibos & potus, ita & ægrotantium libido alia atque alia provocavit? Agnoscunt Medici morbum aliquem, non sequiori duntaxat sexui, sed & viris puerisque infestum, Picam nominant; hæc mirifici planè fermenti culpâ evenit, & aliena & quantumvis absurda, dura atq; indigesta poscit, levia quæque recusat, ut quæ importuni acidi spiculis retundendis non æquè sufficiant. Adeoque

que non immerito hisce eam notis Vindicianus, ille quem hic præsentem vides, designavit.

Mira animi pestis, suspectaque semina morbi,
In Medicis dudum cognita Pica scholis.
Virgineos fertur lentè bacchata per artus
Pallida defædans ora colore fames.
Nunc tamen & Matrum gravidâ prorumpit ab alvo,
Et coquit immani mascula membra lue.
Non assueta placent, non vulgò nota voluptas,
Nec quæ alias teneræ deliciosa gulæ.
Sed, furor! insolitas rabies spaciata per escas
Mille sibi poscit fercula, pauca probat.
Jam pretiosa gulam juvat indigestaq; moles
Et jam quisquiliis hæret inemta dapes,
Utq; avidum satient ventrem placeantque furori,
Esca tamen nervis commoda nulla venit.

Vix hæc audierat Vindicianus, cum ille, agnosco, inquit, & carmen meum & infelicis morbi notas, quem pudor est nunc quoque ad viros transiisse, & cum aliàs ad cibos duntaxat hoc vitium spectaret, tandem etiam in potum recidisse; sed hòc deteriores hodie nostrorum mores, quod non fermento peregrino improvideque contracto quod Picæ proprium est, sed voluptariæ libidini & exemplo morbum debeant appetitumque etiam cunctantem provocent. Quod autem singulis olim terris sua suffecerint remedia, nec alter orbis fatigandus fuerit, à temperato eoque domestico victu repetendum est; Certè enim Populus Romanus, quamvis sexcentis annis sine Medicis vixerit, non tamen vixit sine Medicinâ, vernaculâ illâ & domi natâ. Serò demum cum illâ vorandi po-

potandique libidine extendit se remediorum materies, & postquam peregrina tum alimenta tum condimenta placere cœperunt, etiam remedia foris repetenda erant: nam, cum externorum copia, quæ orbem nostrum inundasse videtur, habitum morborum in plurimis mutaverit, & qui nunc exsurgunt morbi, plerique monstrum alant, intelligi facilè potest, nova etiam requiri & congrua ex æquo remedia. Accedit, aëris stationes in illo vitæ ordine nunc quoque esse tam variabiles, ut nemo, quantumvis perspicax, agnoscere possit eosdem esse morbos, qui fuere olim. Jam verò, ut domestica sint & hìc nata quibus indulgemus, eâ tamen varietate & copiâ ingeruntur, ut & ipsa morborum mutent ingenium contumaciamque augeant. Quare nec vulgata magis prodesse videas, sed nova usque sollicitari & violenta remedia, quædam etiam invisa & olim veneni suspecta, quæ si quis repudiare vellet & contemnere, frigerent sanandi formulæ steriliorque esset Medicina quam pridem. Herbæ quondam sufficiebant curandis morbis, & nunc nec Metallis parcimus, duris & in Vulcani officinâ natis remediis, nempe ut darent, quod exstirpandæ infixæ altius malignitati valeret. Ultimum olim erat in Veratro solatium, & qui domesticis sanari non poterat morbus, Anticyris expiabatur. Nunc autem, non in Insulas, tolerabilem certè pœnam, sed ad Metalla damnantur ægri mortales, quo conceptum visceribns malum felicius evellatur. Ille Mercurius, Chemicorum Proteus, atque instar Martis Homerici ἀλλοπρόσαλλος; illud Antimonium semimetallum, ut cætera taceam, annon unica hodie & rarissima Medicorum pignora, absque quibus esset, jaceret Medi-

ci-

cina ſine ſucco & ſanguine. Quid, annon univerſa Purgantium familia, Rhabarbarum, Jalapium, Scammonium aliaque peregrina nobis? Et verò nihil eſſe apud nos, quod hiſce æquari poſſit, ut puto, manifeſtum eſt. Ad hæc Capito, qui & ipſe Medicinæ guſtnm habebat, fateor, inquit, ut nunc ſunt corpora cauſaria atque obnoxia, etiam alienis opus eſſe & duriſſimis remediis, at ſine quibus vivere potuiſſemus, niſi gulæ libido novi orbis medicinas velut ſpolia quædam ſibi vindicaſſet. E quidem ab aſotiâ originem traxiſſe hunc morbum perque externa vagandi libidinem planè ſum perſuaſus; nam cum olim modico contentis mortalibus pauci evenirent morbi, & qui evenirent domeſticis facilè & parabilibus cederent remediis, auctâ tandem ingluvie & externorum appetitu, ægritudines quoque in immenſum crevêre, &, quæ erant, ingenium mutavêre. Habent id Jura, ut creſcentibus delictis creſcant pœnæ, ergo & valitudini vel auctæ aut mutatæ æquari ex proportione remedia debuerunt. Sed neque una hæc cauſa eſt, cur externa ſint in pretio, quando, ſi operam dare vellemus, etiamnum inveniri domi poſſet, quod tot malis ſufficeret. Avaritia autem, ut coquinariam & pleraque omnia, ita & Pharmaciam corrupit. Seplaſiarii, aut qui ſunt fricti ciceris emtores, dum lucro inhiant, etiam in ultimis orbis partibus per emiſſarios quæſivere, quod ingeneratam gulæ novitatem ſolaretur. Adeò verò etiam ipſos rerum ſapores amiſimus, ut nihil ferè palato accidat gratum, quàm quod malè emtum, externum, Barbaræque nomenclaturæ titulo commendatum. Sordent domeſtica quæque & parabilia, quamvis elementorum affinitate Naturæ noſtræ magis

con-

congrua, & ut lingua quotidianis usibus attrita novo semper deliniri sapore gaudeat, gulæ est hoc vitium, non Naturæ, etiam paucis contentæ. Stabat hic paulum Capito, & carmine exprimere conabatur, quod solute dixerat; sed adverterat hoc juvenis calamistratus, & parum absuit, quin & ipse & alii Poëtam solũ in Triclinio relinquerent: unus autem Vindicianus, nec ipse à carmine abhorrens, verbo omnes retinuit rogavitque, ut veterem desuetamque auribus Musam audire non dedignarentur. Itaque Capito ad juvenem conversus, qui peregrina imprimis sectabatur sic ludebat

Dic mihi, Plance, cui splendenti vivere quadrâ,
Et cui lauticiis vivere sæpe lubet.
Cur adeo diversa placent, peregrinaque tantum
Laudas, & sapor est semper & usque novus?
Non ergo, patrias olim quæ trusit in auras,
Hæc eadem nato vivere Terra dabit?
Non ita. Quæ generat Mater pia, semper & illa
Conservat genitos sollicitèque fovet.
Frustra est alterius conquirere pabula mundi,
Singula se tellus, quò tueatur, habet.
Et mihi crede, domi quæ sunt, securius illis
Vivitur, externis est malè tuta fides.
Vexat adulterium, quæ nobis mittitis Indi,
Omnia, mendaci falsa colore micant.
Est pretio, rebus non est, honor, illa probantur,
Quæ pluris constant, sint modò nata foris.
Non hæc indigenas infamat noxa medelas,
Custodes oculi fallere namque vetant.

Adde quod & nostris mage sint affinia succis
Gramina, vicino quæ tulit aura solo.
His eadem, nobis quæ sunt, Elementa favere
Conspicio, cunctis una ministrat humus.
Idem Aër, soles iidem, vernacula passim
Temperies, lympha consimilisque tenor.
Atque ita, cum parili succrescant omnia succo,
Altera in alterius gramina nata bonum.
Sit THEA, *sit Sinicis spes una & fida Colonis;*
Nascitur & nostro certa medela solo.
Inter mille alias herbas fortassis erit, quæ
Laudibus exsurgat, surgit ut illa, suis.

Ad hæc Juvenis, parcere, inquit, poterat huic furori, qui graves viros dedecere videtur juvenilibus relictus. Certè ego nullâ re ocium literati hominis magis perdi duco, quàm phaleratâ illâ jamque ad senium vergente eloquentia. Hoc autem erat, quod vel nuda oratio, aut venustula illa Gallorum Lingua, quæ nunc passim dominatur, exprimere multò etiam melius potuisset. Et verò, quæ utilitas esse potest laboriosi nec omnibus penitus intellecti sermonis; adeo nisi posthac te contineas, malum non effugies. Ubi Capito, miseram, exclamat, seculi conditionem, si unius juvenis turpiter ociosi arbitrio literati hominis vita æstimabitur! Carminis olim majestas plurimos in admirationem rapuit, & nemo temere Musarum sacris initiabatur, nisi qui interiore sermonis elegantiâ tinctus esset. Mihi certè Poetæ, illi veteris ævi, summum attigisse videntur tum in omni scientiâ tum maximè utraque linguâ, adeo ad unum omnes Poetas & doctos fuisse constat, & vario apparatu viam sibi ad Musarum Limina

mina, quæ nunc plerisque frigent, stravisse. Quod si hodie alia sit rerum facies & contemtissimè habeantur, quos aut vitæ ratio aut Natura huc deduxit, puta seculi hunc morbum esse, non ingeniorum. Indignandum verò est, non Poësin tantùm sed ipsum quoque Latinum sermonem tacitè nobis elabi de manibus, & cujus pridem auctoritas summa erat, hodie nullam esse. Quo minus miror Te quoque Gallici sermonis vernilitate ita esse fascinatum, ut & vernaculè eam & Latinæ, tot jam seculorum præscriptione regnantis, &, quod magis est, omnium Nationum arbitræ, præferre non erubescas. Equidem nisi consuetudine & turbâ errantium aut juvenili impulsus licentiâ hoc faceres, veniam ægrè impetrares. Perturbatior ad hæc juvenis, quid, inquit, annon meritò Gallicam, illam adeo tersam, & à tot jam annis ad elegantiores usus excultam linguam, Latinæ, Barbaræ, mortuæ nullisque amplius gentibus agnitæ, præponam? Cui alter, Gallicæ, inquit, Linguæ suas dotes non detraho, sed nec in Latinæ fraudem quidquam fieri non temere patiar. Sit Gallica, & habeat plurimum muliebris gratiæ, ad oris volubilitatem atque ad lusus magis comparata; attamen est, cur in certo genere masculam illam & articulatam Latinæ linguæ dignitatem venerer. Sed ut taceam, certas ob causas suam cuique linguam debere esse carissimam, si aliena eligenda est in re gravi & seriâ, illi optionem deberi puto, quæ & numeris & sono auribus sit propitia, nec tamen linguæ facilitatem offendat; quod cum Latinæ ferè proprium est, & quæ legi volumus, pleraque omnia aliarum quoque gentium curiositati destinemus, externa quædam, communis, &, ne unius gentis assentatione omni-

 um

um invidia concilietur, mortua præferenda est. In populari autem usu, si vernaculam quis anteponat, cum hoc omnium nationum exemplo fiat, invidere nemo potest. Quod si quis ab ingenio aut venustate Linguam suam commendet, in eo omnes certant & pari invidiâ concurrunt: quare Linguâ utendum est sequestrâ, tum imprimis eâ, quæ gentium consensu monumentorumque copiâ nitorem suum probavit. Quod cum in Latinâ illâ factum esse hodieque adhuc fieri constet, unam illam non interire tamdiu conveniet, donec Victor aliquis universi, suam quoque cum imperii jugo linguam imponat, deletisq; variarum gentium commerciis studiorum ambitum circumscribat. Jam, cum vel propter vulgatam sacrorum versionem, cujus auctoritas apud Pontificios tantùm non summa est, magnopere intersit, esse aliquam & manere Latinæ linguæ gloriam, mirari oportet tam segnes esse monachos tamq; supinos, ut linguæ jamjam conculcandæ auctoritatem non revocent, & quanto maximo studio tueantur. Hic Vindicianus, noli nos, inquit, invidiosâ & planè alienâ oratione morari; quinpotius ad propositum revertere & ad Theam propera. Cui Capito, feceram id jam tum, ait, nisi animum offensâ gravem ad juvenis hujusce & seculi, non ingenii amplius dotes, sed lucrosa quæque & nummariæ æstimationi obnoxia laudantis, immodestiam exonerare debuissem. Ergo, ut pergam, hoc dico, opinionem Dominam plerisque externis gratiam conciliasse & plurima non alio titulo probari, quàm quod peregrina sint. Nimirum, ut est genus humanum curiosum novarumque rerum avidum, ita quod subitum est quodque externum, hoc ad medendum efficacius creditur,

tur, ſtolidâ delicatulorum Phantaſiâ vires vel augente aut moderante. In quo id tamen deteſtandum eſt, quod nulla Natio majorem ſibi in his mutandi licentiam ſumſerit, quàm hæc ipſa, quæ pridem in poſſeſſionem Artium ſcientiarumque & virtutum miſſam ſe gloriari ſolet: Europæos puto, & qui inter hos cultiores ſunt, Germanos, Gallos; quibus tamen, pudet dicere, adhucdum Barbaris major fuit conſtantia & erga Naturam matrem fides, quàm eſt hodie in tam cultâ morum elegantiâ. Fuit equidem ſeculum hoc in proferendis ſcientiarum finibus felix, ſed quaſi creſcentibus animi viribus corpus fraudari iniquum eſſet, magna etiam facta eſt gulæ acceſſio. Inventæ ſunt tot alimentorum condimentorumque imo & potuum ſpecies, pleræq; etiam ſanitatis titulô, ut vix nomenclaturæ ſuppetant & ipſe pridem in partes vocatus Apicius ſemibarbaris laceriſq; & contortuplicatis nominibus farraginem illam notandã cenſuerit. Huic enim deſueta pridem nomina, Cicilendrum, Sipolindrum, Happalopſis, cataractria, &c. Quibus adde Chocolaten, Coävam & triſte The nomẽ Ad hanc verborum tempeſtatem cohorruit Moderatus & ad Vindicianum ſe applicans, nec Dii, inquit, ſinent, ut tam fædis & vel ipſo ſono inconditis juſculis corporum noſtrorum habitus turbetur. At tolerandum hoc eſſet, inquit Vindicianus, ſi, ut quisque guſtum habet ita modum teneret, nec temere omnibus & ad ſatietatem frueretur. Æquandæ ſunt deliciæ rerum Naturæ, & cum illa vaſta ſit quotidieque alia ex aliis oſtendat, pudor eſſet in uno ſubſiſtere, cujus gratia plerumque ſolſtitialis eſt & conſuetudine tædioſa. In Remediis vero, quæ Natura quoque infinita alit, non ſpernenda varietas, quod affe-

ctuum saporumq; mirifici lusus diversa poscant & nascenti in dies novitati facilè occurrant. Munificentia illa, quâ Naturâ se exserit, laudabilis est & beneficii loco habenda, in quam peccare videntur, qui natalis loci finibus vim illam circumscribunt. Adeo non est solius gulæ judicio probanda utilitas, si quid fortuna peregrini objecerit, quod nepotuli nostri faciunt idem & sanum arbitrantes, quod gratum est. Necessitatis est, Moderate, suis esse contentum; at, cum Europæorum industria totius fere orbis arcana expilârit, ignavum sit inter domestica torpescere. Hoc verò etiam observatu dignum, non temere, quòd sanitatis titulo commendari cæpit, vi quâdam & copiâ ingerendum esse, quasi nec copiâ nocere posset, cujus usus in exili sit salutaris. In quod nuperi Potores, & hic ipse, juvenis impegisse mihi videntur. Ad hanc Crisin circumactus Capito, quinam, inquit, hi Potores. Isti, ait alter, qui à triginta jam annis, & quod excurrit, *Chocolaten*, *Coffi*, *Theam* & quid non pitissando sorbendoque Tabernas ædesque fatigarunt. Hic Vindicianus, miror, inquit, adeo Capitonem esse hospitem, ut potus illos tam notos totq; elogiis, quibus inscriptæ tabernæ prætereuntes invitant, testatos, nec viderit nec gustaverit. Cui Capito, ut sum, ait, naturâ morosior & animo à novitate alieno, ita nihil unquam pensi habui, quid bibulorum ergastula aut tabernæ promitterent. Dum tamen Theæ mihi vires explicare contendis, obiter, quæ illorum quoque potuum aut sorbitionum sit facultas, si tanti sum, attinge. Ad quod Vindicianus, *Chocolate*, ait, quam delicatulorum curiositas aut mercantium avaritia ex Americâ evocavit, dum ex *Cacao* fructu, Amygdalæ aut Pistaciæ instar, tanquam

basi,

basi, inde & *Maiz*, frumento indico, *Vanillas* Cinnamomi aut Cassiæ æmulo ligno; Seminibus Anisi, Pipere Americano, Nuce Moschatâ; Cinnamomo, aliisque invicem mutatis, cum saccaro conficitur; potus est nutricius ut qui maximè; designant enim hoc ingredientia & *Cacao* & quidquid est farinæ, unde unde sumtæ. Quid quod Lusitani, & ipsi Judæi, quorum hic quæstus est uberrimus, cũ Americanæ species non semper ad manus illorum perveniant, adjiciant *Cacao*, hæc enim una velut præcipua & necessaria ejus pars salutari debet, & Amygdalas & Avellanas Nuces & Pistacias; variatis etiam pro ingenio & libine aromatis, velut condimentis, imò nec Moschi nec Ambræ odoribus fastiditis. Ex hisce autem apparet geminas esse Chocolatæ vires, alibiles unas, alteras aut medicas, aut libidini servientes. Certè Stubbius Anglus Uni *Cacao* tantum nutriciæ substantiæ inesse experimento demonstravit, ut nec caro nec quod maximè nutrit, conferri cum eâ possit; cui si cætera illa accedant pinguioris alibilisque succi, jam in immensum augeri vires nutritias necessum est, ut ferè ridiculum sit potum appellare, cujus alitura solidis quibusque carnibus & jusculis sit potentior. Vicit tamen luxus & ostendit potum quoque sic præparari, ut dentium usu ad alituram carere possimus. Jam verò propter Aromatum misturam pinguibus sociatam quis non videt Veneri excitandæ idoneum esse hunc potum, atque eo maximè nomine ab Asotis & voluptariis laudari? nempe, inflant sanguinem humoresque corporis nostri & pinguia quæque & calida, adeo & in aquæ illo calore ad venerei æstus rivos deducta libidinosum aliàs corpus inflammant; in ventre autem retenta flatuum molitione non pa-

rum

rum incommodant obnoxiumque corpus gravant, quod Hypochondriacis imprimis, & quibus in flatus attollitur pituita, damno suo expertos scio. Calida equidem, ut assumitur, statim per emissitios poros ad Renes propellitur; sed illa elementa crassa ex parte & viscosa ab aquæ vehiculo deserta villis se implicant ventriculi atque intestinorum, ibique tum ab aromatum misturâ, tum corporis calore in flatus rediguntur; quod eum in finem dico, ne quis putet ejusmodi potus gulonum rumoribus notos omnibus statim promiscuè servire, & quod certâ lege nonnullis utilitatem præstat, ejus nec nimium damnosum esse. Ad hæc Moderatus, cur ergo, inquit, tot elogiis differuntur potus isti, adeo etiam, ut nec tempore jejunii ab illis abstinendum existiment Viri muneris sanctitate conspicui: alii verò, & ipsi Medici, certis casibus, velut salutare remedium, adhibeant. Ubi Vindicianus, de his quidem, ait, jam sententiam dixi; de istis verò viderint cæremoniarum cultores. Ego autem, ut sciam Antonium de Leon Hispanum suâ lingua quæstionem hanc ventilasse & Cardinalem Brancaccium certâ diatriba usum Chocolates, modò ne nimius sit, etiam jejunii tempore, quæ fuit viri facilitas, indulsisse, tamen in hoc Medicis suffragari malim, quam sacerdotibus, nescio quomodo in suspicionem affectati patrocinii adductis. Caldera, Medicus Hispanus, usum quidem Chocolatæ initio traduxit, quod videret Gentem suam libidinibus deditam, communi mortalium vitio, usum plerumque abusu mutare; sed postea, credo, Cardinaliciæ Purpuræ reverentia permotus, Brancaccio accessit & in jejuniis quoque retinendam censuit. At si quis bene calculum ponat, reperiet aut alienæ

aut

aut propriæ libidinis esse Patronos, qui potionem, si fas est nominare, tot succis alimentisq; & aromatis delibutam vel jejunio vel alio quovis tempore non sanitatis causâ, quæ una prægravare potest, sed vel consuetudinis aut novitatis aucupio, aut ingeniosæ gulæ venerisq; illecebris, aut, si placet, famis placandæ causâ, quam ipsam tunc quoque tolerare ex voto oportet, indulgendam esse auctoritate suâ voluerunt. Hic Capito, ergo, inquit, damnas in totum Chocolatæ usum? Minime omnium, inquit alter, sed tamen cum ratione exhibendam eam puto; potest usus ejus modicus macris strigosisque corporibus, modò ne calore torreantur intestino, potest cacostomachis, modò ne flatibus sint obnoxii, potest est sanis, quibus ut pleraque omnia, ita & hæc innoxia, propinari. Multum tamen interest scire, quænam ejus sit conditura; ut enim illa variat, sic his aut illis Naturis affinior est. Si *Cacao* alibiliumque farinarum copia maxima est detractis aromatibus, nec stomachus recusat, jam nec Phtisicis Hecticisve inutilis esse potest; Sin aromata maximam partem faciunt, medicinæ acrioris induit naturam, frigidis & in Venerem lentis apprimè convenit, misturâ ubique effectum variante. Ad ista Capito, video, inquit, Chocolaten illam gulæ potius esse blandimentum, quam efficax remedium suppeditante alia Naturâ. Nunc autem quid Thea, est alter ille Arabum Persarumque *Caove* aut *Coffi*, qui & ipse tot nuper amasios reperit, agant, desideranti explica. Cui Vindicianus, de *Coffi* quidem, ait, uno verbo dicam, minus esse illum potum alibilem, magis autem medicatum, &, nisi abusus corrumpat, ad plurima utilem; cujus rei experimentum cum libri & publicata elo-

gia testentur, de Coffi nihil aliud moneo, quam utilitatem istam colore turbido saporisque peregrinitate nonnihil infamari. Thea autem, tot gentium, Japonensium Chinensium Indorumq; potu celebrata, quamque nunc nostri quoque inter desultorias delicias cæteris præferre solent, longè majora promittit, quam ulla externa. Ibi Capito, nunc tandem, inquit, quæ illa sit herba, cujus necdum videndi copiam mihi factam esse scias, expone. Ibi tum Juvenis, Capitoni de Herbæ figurâ sollicito, En, inquit, folia, quæ siccitate conglobata calida rursum explicabit, nervorumque & circumferentiæ ductum pulchrè ostendet. Arripit folium Capito, & admotis oculis curiosis modò huic modò illi herbæ adsimilat, nusquam reperiens, quod abundè satisfaciat. Itaque ad Vindicianum Medicum conversus, Et tu, inquit, qui tuorum scrinia perreptasti, quæ sit illa herbæ species, quæ forma, actutum profer. Itaque Vindicianus, Commentaria, inquit, Medicorum planè hic frigent, Chinensibus totam hanc Plantam, velut sacrum quoddam depositum, sibi servantibus. Ferè autem omnes, qui Plantæ hujus speciem nobis designarunt, conjecturam adhibuere, adeo mirum non est in tot discerpi partes, quot sunt capita. Primus fortè Jacobus Bontius, post Sacerdotum solertiam, Indicarum maximè gentium consuetudine notus, Consolidæ eam similem credidit, alii Bellidis, nisi quod serrati foliorum ambitus diversum suaderent. Ego autem ex lignosorum stipitum, quos sæpe admixtos vidi, ingenio olim conjeceram Fruticis illa esse folia, non Herbæ, & vel Paliurum aut ejus instar, Strabonis imprimis Lectione permotus; ille autem libro XVI, Ubi de Troglo-

glodytis, Potus, inquit, ipsis ἀπόβρεγμα παλιέρε, Paliuri decoctum. Sed neq; huic conjecturæ ad exactam trutinam constitit fides, postquam accuratus Herbarum censor comparatione mutuò institutâ esse hanc Theam, Chamælcagnum Dodonæi aut Myrtum Brabanticam, cæli duntaxat ingenio paulum mutatam, tantùm non adjuraret. Sed formam utriusque penitius conferentibus facilè apparuit aliam esse, &, ob foliorum pinguem firmioremq; texturã, Oleæ viciniorem, quàm Theæ: ut taceam amaritudinem illam non ingratam eique mistam adstrictionem in Chamæleagno non offendi, &, si virium ratio habeatur, cum Thea vapores à cerebro unicè avertat defæcâtis spiritibus, hanc fumoso sulfureoque halitu tantùm non totum invadere, mentisque usum contraria viâ evertere. At neq; cæteri Botanographi, qui eâ de re consulti, neque Capito, elegans aliàs formarum spectator & in minutulis rebus etiam ad fastidium curiosus, induci potuere, ut non satis firmæ conjecturæ assentirentur; Visumque omnibus difficillimum, de Plantæ referre formâ, quæ in conspectum nondum venisset, imprimis, postquam exercitatissimus Anglus & ratione & exemplis aliam viam cognoscendi Plantarum formas, ostendit; neque adeo à foliis, rejiculis & accidentalibus partibus, quam flore & semine, essentialibus magis, repetendam esse specierum distinctionem. At neque in Umbellatis aut Fæniculatis Plantis quidquam esse, quod huic nostræ responderet, foliorum texturam aliaque examinanti constitit. Adeo mirabantur omnes, quo indicio Chinensium Theam inter Fænicula numerasset laboriosus nomenclator Bauhinus. Igitur Vindicianus, cum cæterorum curiositatem in explicandâ peregri-

næ Plantæ formâ notasset, si, inquit, Guilielmi Pisonis externarum rerum solertissimi custodis, aliquod apud vos est pretium, faciam, spero, ut contenti abeatis, quotquot hic adestis morosi exploratores. Is ergo notis in Jacobum Bontium, illum, quem paulò ante nominavi, non figuram duntaxat sed & narrationem, oculorum fide probatam, exhibet, auctoritate potissimum D. Caronii, qui plures in Japoniâ annos cum imperio præfuerat, usus. Jussus ad hæc ire famulus, qui Pisonis Bontiique historiam Indiarum ex Bibliothecâ repeteret; nec mora, quin inhiantium facilè curiositas recitatis Pisonis verbis satiaretur. erant autem in hunc modum concepta. *Omnis The sive Tsia, nullibi terrarum, quantum quidem constat, nisi in Japonia, China & Chiam campis colitur, exsurgitque ad Ribesiorum vel Rosæ Europeæ molem & altitudinem. Caules & ramunculi totius fruticis à pede usque ad verticem, perpetuis & infinitis floribus & foliis tenuibus, acuminatis, in ambitu crenatis, ornatè vestiuntur. Quæ ejusdem licet formæ, diversæ adeo sunt magnitudinis, ut quinque foliorum differentiæ uni eidemque frutici adnatæ appareant. Prima & maxima in inferioribus ramusculis, Balsami hortensis foliis similia existunt. His succedunt ea, quæ secundæ magnitudinis & prioribus multò minora sunt, ut sic gradatim adscendentia quinquies manifestè differant. Verum quantum hæc folia sursum magnitudine decrescunt, tantum pretio accrescunt: quippe primæ magnitudinis exsiccatorum & præparatorum libra valet quinque asses; secundæ quinquagintæ, tertiæ verò quinque florenos; quartæ quindecim, quintæ & ultimæ magnitudinis quinquaginta, imò subinde centum & quinquaginta florenos valet, si ritè præparata fuerit. Japonenses folia*

hæc

hæc in pulverem, quò viridiorem hoc præstantiorem, redacta ferventis aquæ cyatho immiscent, quantum duobus cochlearibus continetur eamque potionem ita permixtam potant. Sinæ verò in aquæ ferventis vasculum aliquot ejusmodi folia injiciunt, inde calida, postquam eorum vim combibit, epotatur, ipsa verò folia relinquuntur. Flores porrò fert The albicantes, magnitudine, figurâ, colore Rosæ sylvestri Europeæ, excepto odore simillimos, quorum foliolis decidentibus umbilicus manet, ubi semen horum Fruticum rotundum & nigrum continetur Rosarum instar, quod terræ commissum novas producit Plantas triennii spatio, ex quarum foliis messis luculenta illis annuatim redit, etiam iis Japoniæ locis, ubi gelu ac nix vigent æquè ac in Hollandiâ. Ita ut sperandum sit, si semen capsulis inclusum & contra aëris injurias munitum huc deferatur, ibidemque umbrosis & fertilioribus terræ locis commendetur, feliciter quoque educari posse. Radices sunt fibrosæ & in minimas particulas dispersæ circa terræ superficiem, nullius hactenus usus habitæ. Ita ut sola hujus decantati fruticis præstantia in frondibus existat, quæ vere Iaponensi lectæ atque in umbra exsiccatæ ad quotidianas decoctiones reservantur. Mirabantur omnes post tam exactam descriptionem repertos esse, qui Theam modò Betonicæ, modò Myrto Brabanticæ, modò aliis aliisq; assimilarent. Sanè vel ipsi flores, ut essentiales Plantarum partes, argumento sint, ineptam esse & vanam comparationem, quando pleraque illa spicam referant, in summo, adeoque aliam longè speciem participent, uti Dodonæi quoq; quam in imagine repræsentat, Chamæleagnus sive Brabantorum Gagel aut nostrorum *Porst*; luculentè commonstrat. Theæ fruticis flores sparsim & soli prode-

 unt

unt, Chamæleagni iſti junctim & ſpicatim; ne dicam coloris aliorumque accidentium immanem eſſe differentiam. Quod ne novum videretur audientibus, comparatæ invicem & Piſonis & Dodonei figuræ omnem ſcrupulum exemerunt; quid quod adportata ex viciniâ chamæleagnus nutantem adhuc juvenem planè convicit. Contentis hactenus plerisque unus Capito naturâ ſuperciliosior, quid, inquit, juvat ingenium noſſe Plantæ omnino admirabilis, ſi ob inopiam utendi deſit facultas; quin potius, miſsâ illâ externorum curâ, quæ avaritia ut plurimum extulit, domeſtica noſtra & vulgata exploremus, an non in iis quoque reſideat, quod viribus vel ſuperet aut paria faciat cum Theâ. Placuit omnibus conſilium, & conducti ſeplaſiarii pyxides omnis generis herbis repletas in Triclinium detulere. Mira ſtatim herbarum varietas & figurarum ludentium ſpecies curioſos detinebant, ſed de ipsâ illâ æmulâ Theæ ſpecie necdum conveniebat, aliis hanc, aliis iſtam laudantibus. Objiciebatur etiam quærentibus Betonica, quam & ipſam pro Thea venditare aliqui laborabant, non tam foliorum quàm virtutis ſimilitudine inducti. Accedebat etiam auctoritas ſive Antonii Muſæ, ſeu Apuleji Madaurenſis, vetuſtiſſimi ſcriptoris, qui certo indice inter alias Betonicæ dotes hanc quoque deprædicaverat, *Ebrietatis eſſe averruncam*: quo elogio aliqui animati vicem Theæ ſuſtinere poſſe omnino exiſtimabant; rerum formam explorantibus ſaporemque alia viſa eſt herba, quàm ut ſubjici Theæ deberet. At quo melius de ingenio herbarum, quas pyxides abſcondebant, conſtaret, exemplo Theæ calidâ ſolutionem tentandam duximus, ſed ad quam minor quoque

que affinitas deprehensa; namque & obscurior multò color, & ad vitrioli soluti misturam nulla nigredo. Tum Capito, quæ nova hæc, inquit, & inepta curiositas, ut vitriolo rimari solutionem non dubites. Id verò factum oportuit, ait Vindicianus, quò melius affinitatis ille gradus deprehendi posset; nosti enim, certè debebas nosse, Theæ solutionem ad misturam vitrioli statim in atramentum facessere scriptorio simile; &, ut decoctio illa rubra sit, aut, quæ optimæ Theæ unica nota est, viridis, protinus tamen ad vitriolum nigrescere. Hic juvenis, ergo, inquit, certæ sunt herbæ hujus species aut cocturæ? illa tamen, quâ hactenus usus sum, uno & rutilo colore se mihi probavit. Cui Vindicianus, atque hoc, inquit, argumentum est Theæ vilioris aut minus bene præparatæ; certe enim artificio quodam & siccatur & conservatur ea, quæ optima est, hoc est, etiam post annorum aliquot lapsus viridis. Fateor discrimen, quod foliorum magnitudini lentè deficienti imputat Piso, dignum esse notatu; at ego siccandi modo plurimum quoque tribuerim, & hinc esse, quod viridis Theæ major sit gratia, & facultas, quam rutilæ, ut quæ exoleta jam sit virtutisque remissioris. Utut tamen sit, omnes Theæ solutiones ad vitriolum nigrescere videas, quo scire possis esse hoc adstrictionis, quâ pollet, non leve documentum. Jam verò ut de aliis quoque constaret, producta experimenta; & inter illa cum Agrimonia, quamvis foliorum formâ dissimilis, calidâ solveretur, in obscurum ferè & atramentosum colorem ad vitrioli misturam degeneravit, sed tamen, quod adstrictionis nihil aut perparum haberet, Theæ elogium non meruit. Chamædriis utcunque amari erat saporis,

sed

ſed adſtrictio deficiebat; vitriolo adjecto vireſcebat magis quàm nigrabatur. Cardiaca, Marrubium & alia ſaturatè quidem tingebant liquorem, ſed admiſto Vitriolo nulla nigredo. Sanguiſorba æmulabatur utcunque colorem Theæ, ſed ſapor invalidus erat, nec ullo ſalis ſpiculo comitatus. Jam verò Myrti Brabanticæ folia calidæ injecta inficiebant tandem liquorem rutilante flavedine, ſed ad vitriolum aut nullam aut exiguam recipiebant mutationem; quo vel uno experimento conſtare poterat nullam eſſe illi cum Theâ affinitatem. Unica ſupererat in ſcriniis Veronica, cui plurimum aliàs tribui vulgo ſolet. Itaque cum plauſu in calidam injecta mediocri eam infecit tincturâ, & ſapor, quamvis non perinde amarus, mirificè tamen adſtringens deprehenſus. Adeo ut ad vitrioli quoque ſolutionem obſcurè nigreſceret Theamque æmularetur. Hic Capito exſurgens, ergo, inquit, Veronicam, illam aliàs quoque fæminarum elogiis notam & facultatibus ſimilem, peregrinæ rariſſimæque Theæ ſubjiciamus, & ſi quid ſiccatio confert & virtutem vel conſervet aut auget in majus, ſollicitè eam curemus, negligentius enim, ut apparet, in exſiccandis Plantarum foliis occupantur Pharmacopæorum filii. Accipiebat omen Vindicianus, & ſi domeſticorum, inquit, uſum non detrectas, Veronicam hanc ſubjici alibi Theæ poſſe ſum perſuaſus; certè enim inter primas ejus dotes has quoq; numerari video, & Renes extergere & Caput firmare & Stomachum, blanda amaritudine à neminè facilè recuſata; quæ cum geminæ ſint Theæ virtutes, utique inſtar eſſe ejus, ubi meliora non ſuppeditant, nihil, ut puto, prohibet. At hic ad prius de Atramento experimentum

tum

tum regressus Capito, num, inquit, nigredo illa & atramenti species virium affinitatem demonstrare possit, impensè dubito; si enim de eo agitur, & hoc uno efficacia constet, ecce tot ad nigredinem inclinantes misturas, quibus tamen alia est & planè contraria virtus. Gallarum, Quercuum, Sumach & eorum, quæ validè adstringunt, solutiones, ubi vitriolo socientur, statim in atramentum abeunt; tantum tamen abest, ut Theæ æmulentur vires, ut contra potentissimè adstringant. Itaque in hisce, ait Vindicianus, non est acquiescendum. Quamvis enim nigredo illa adstrictionem probet sale sociatam, non tamen perinde genus salis demonstrat, qui ut fixus est vel volatilis, Alcalinus aut mistus, ita efficaciam cum adstrictione variat. Plurimæ herbæ, quas strictio comitatur, sale volatili sunt fœtæ, atque illæ, præterquam quòd tonum viscerum adstrictione corroborent, etiam reserandi poros fluidaque agitandi vires indeptæ sunt. Est ergo nigredo argumentum latentis inibi adstrictivi salis, sed quod Theæ simul & volatile contigit & blandâ temperaturâ suave. Atque hoc est, quod in Myrto Brabanticâ temere quæras; redolet enim non tantum sed & sapit sal fumosum & planè sulfureum, capiti etiam, quò magis à Theâ abire credas, infestum. Nulla ibi adstrictio, quippe quam nec gustus, nec vitrioli experimentum ostendat. Et ut in foliorum similitudine aliquid reperisse se putent Hyperaspistæ nonnulli, non passi tamen sunt Censores nostri, aliam pro aliâ subjici Myrtique Brabanticæ folia Theæ exoticæ titulis in tabernis Pharmacopolarum triumphare; esse enim, si ratio deducatur, effectuum potius, quàm formæ, rei inanis & ad contemplationem natæ,

ſimilitudinem attendendam; nec multum referre quid figuræ promittant foliorumque ambitus, modò virtutes invicem reſpondeant; Criticis illas minutias, & ſi quid ſignaturæ pollicentur, mathematicis relinquendum, idque unum quærendum ad Medicinam euntibus, ut ſuæ ſingulis herbis vires experimento conſtent. Quod ſi factum jam tum fuiſſet, non temere tot fallaciarum vaniſſimarumque promiſſionum copiâ inundata fuiſſet, quam nunc tenemus, Medicina. Inutile eſt illud accidentium ſtudium, videndumque magis, quid prudens comprobat experientia & num eventus accedat. Exiſtimo autem, ut ſunt hominum formæ numero individuæ, ita & Plantarum eſſe & virtutum, quæ proximè à formis dependent; adeò reperiri in ſingulis quid numerici, ut ſcholarum termino utar, quod cognatas ſpecies & à ſe invicem & ab aliis diſtinguat. Quare indulgendum puto, eſſe aliquid Theæ proprium, ſingulare & negatum cæteris omnibus; an verò id tale ſit, ut temperamento alterius herbæ, copiâ modoque diluti exprimi nequeat, ipſi videte, qui tot jam decoctis guſtum teſtem adhibuiſtis. Habent fortè aliquid in exſiccando gentes iſtæ ſingulare, quo volatile iſtud usque tueantur; neque enim, ſi vel calorem ſolis aut uſtulationem experta eſſet herba, volatile quid redoleret, quod in noſtris Plantis ferè omnibus ob incuriam avolare ſolet; adeo ego ab ſiccandi artificio tutelæque modo viriditatem iſtam oriri credo, quam niſi aëre admiſſo humido haud facilè deponat. Et fortè alia differentia Theæ non eſt, quàm quæ vel à foliorum quantitate aut ſiccatione dependet, ſive Japonica illa ſit, ſive Chinenſis aut Tartarica. Hic juvenis, unde ergo, inquit, Thea una longè pluris venit quàm

altera,

altera, cum æstimatione originis crescente pretio, namque Chinensis minus est pretium quàm Japonicæ. Ad quod Vindicianus, aut arcanam istam præparationem, aut quod longioribus itineribus petatur, in causâ esse puto. Crediderim autem si eorum exemplo viriditatem unà cum sale volatili custodire conaremur, multò fore efficaciores quas officinæ promittunt, herbas. Nunc autem obiter & sine studio siccantur in sole, umbrâ, foco; & cum siccatæ sunt, quæ maxima esse cura debebat, humidis exponuntur calidisve locis, ut, cum ad usum à Medicis vocantur, in mucum aut inficetum pulverem se resolvant. Hic rursum Capito, de isto, inquit, examine plus satis actum; alia nunc declara & digna expectatione nostrâ, & vires istas tam mirificas, & si quid habes, quod palato satisfaciat curioso. Cui Vindicianus, Enimvero, ostendam, inquit, propter hoc ipsum quoque peregrinæ herbæ plurimum deberi, quòd calida & aquæ vehiculo propinetur. Quid quod, si judicio rem exploremus, aliquod etiam aquæ futurum sit elogium, &, si in aliis quantumvis spretis herbis experimentum idem institueretur, habituri quoque simus, quod exspectationem impleat. Frequens est in Medicorum scholis causarum fallacia, & adeo quidem propria, ut neminem adhuc unum cognoverim eorum, qui ad Praxin se adjecerunt, qui cum vitio illo non usque sit conflictatus. Confundunt multas herbas, juscula, aquas & quidquid Indices Seplasiariorum promittunt, nec tamen uni alicui in illâ aliorum mole vim omnem & effectum tribuere erubescunt, quod quo ore fieri possit, ego sanè non intelligo. Est quidem in nonnullis manifestior virtus, sed tamen cum plura juxta

 usur-

usurpantur alterius generis remedia, non temere uni vis omnis imputanda. In oculorum inflammationibus, ut uno exemplo occurram, plerasque vires Topicis & Collyriis tribuere solent, & tamen, cum frustra diu laboratum, uno sæpe purgante totum morbum profligari vidimus. Hærent tamen & usque sua laudant collyria nihil profutura, si alvus defecisset. Ita sæpe dubitandum, utrum Herbæ soli an vehiculo quoque aliqua virtus debeatur. Non tulit hoc diu Capito, sed, ut sibi sapere videbatur. Et tu, inquit, aquæ nudæ & inanis vires esse aliquas existimas? Bonum ergo factum, ne posthac oræ tam longinquæ fatigentur, & quod domi nascitur, insano ferè pretio aliunde repetatur. Ad hæc Vindicianus, equidem id nolo, ait, ut solâ aquâ utamur quamvis efficaci, sed ne, ubi simplicibus domesticisque confici res potest, magnâ peregrinorum farragine misturam turbemus. Et verò ne de aquâ putes esse illam inanem viribusque cassam, repete, quæso, tot seculorum & gentium memoriam, ubi aqua in potum fuit delecta, non, ut nudum esset alimentorum vehiculum, sed, ut suam quoq; nutriendi vim, sive illa sit arcana quædam potestas, seu quem vocant Archeum, conferret. Miratus novam hanc Hypothesin Juvenis; etiam aquas, inquit, belluarum delicias laudare non dubitas, quasi esset in iis, quod non sitim tantum levare sed & partibus prospicere posset. Erras Vindiciane, erras; quid enim limpidus ille & ad minimum calorem in auras facessens Latex, utrum in partium iturus, est substantiam? Cui Vindicianus, si rectè, inquit, calculum ponis, non planè vacua est, quam vides, aqua; ex hac enim, utut insipidâ lucidâque, quemadmodum omnium

rerum

rerum, ita & corporum nostrorum stamina coäluere. Illa est vitæ nostræ sustentaculum motusque automati, ut est tota hæc machina pneumato-Hydraulica, principium: absque hac esset, jacerent partes gelu concretæ, nec ullis se auctibus proderent; neque enim solidis quidquam accederet, nisi vehiculo fluidi, sive ipsum in se totum transmutetur, seu abdita solidorum elementa paulatim educat, & è potentiâ materiæ explicet. Nempe ipsa genitalis aqua, unde concrevimus, etiam illa Purpura, quâ hodieque alimur, suavis est insipidaque, quò sic facilius aquam in Naturam nostram transire posse credas. Alii illi succis pigmentisque delibuti & ad oris gratiam extorti potus, quibus non ante tormentis subjiciuntur, quàm cum Naturâ in gratiam redeant & peregrinum palatoque servientem saporem deponant; certè enim deponere illum debent, priusquam sanguini se misceant affini fluido. Non diu se continuit Capito, quin Poëticæ levitatis plenus aquæ elogium carmine efferret, quamvis impetus ille pridem malè cesserat. Itaque Vindiciani advocatione tutus hunc in modum ludebat.

Nondum prima dies rerum lustraverat ortus,
Totaque materies non nisi lympha fuit.
Lympha ferax, in quâ veterum primordia rerum,
Et quâ Naturæ semina prima natant.
A quâ cuncta fluunt vitarum stamina, & unde
Primus homo jussit nomen haberet aqua.
Illa ego luminibus quamvis nunc pervia vestris
Fœta tamen succis seminibusque fui.
Quid quod nunc etiam sim suffectura potenti,
Nec mea sit virtus, quàm fuit antè, minor.

 Nam

Nam magis internis illa est intexta medullis,
Multaque visceribus forma sepulta meis.
Me segnem varios motus disponit ad usus,
Et nunc ire cito, qui modo stare jubet.
Me calor impositas fluidam discerpit in auras,
Mutatâque facit cum statione levem.
Sed nec in Aeriis mihi longum vivere campis
Juno dedit, soli quæ sibi regna tenet.
Vix ibi conceptam frigus distillat in imbrem,
Qui signet radio versicolore viam.
Nec mora, desertas rursum dilabor in auras,
Inque vices solet hic sæpe redire labor.
Hocque uno constat mihi vis vitalis, & Auræ
Et Jovis & Terræ conciliatur amor.
Et sic fœcundam tellus bibit ebria lympham,
Meque suam gaudet sicca levare sitim.
Huc ergo, ò miseri! veteres agnoscite fontes,
Unde olim potis plurima nata salus.
Huc vos, qui primi nuper liquistis amæna
Rivorum, matri perfida turba meæ.
Huc properate viam, spes est hæc una salutis,
Tutius ex ipso Fonte bibuntur aquæ.
Ille tuis Proavis & qui numerantur ab illis,
Et nondum natis potio prima fuit.
Ille hodie terras sata læta böumque labores,
Ille animat genio gramina quæque suo.
Quin agite, insuetum linguæ revocate liquorem,
Membraque me solo fessa rigare juvet.
Aut si delicias sensus lubet ire per omnes,
Quidque oculis placeat noscere quidque gulæ.

Est

Est color hic vivus, puro qui certet Jacho,
Et quæ Crystallo purior unda micet.
Hic sapor aut nullus, aut quos complector in uno
Omnes, quot docta est lingua referre modos.
Isacidæ Mannam, cælestia dona, tot annos
Cænatam tandem spernere non metuunt.
At me semper honos idem nomenque manebant,
Nec temere assuetas respuit ullus aquas.
Murmure quin etiam cælum malè sana petebat
Gens, cùm non esset, quæ biberetur, aqua.
Et cur non, dubiâ quæ sum præstantior uvâ,
Sim quoque morosæ gratior unda gulæ?
Non sum læta quidem, fateor, sed signa remissi
Si non sunt animi, nulla doloris erunt
Et teneo medium, medium tenuere Beati,
Noxa nec ingenio, nec venit ulla pedi.

Hoc aquæ elogio excitatior unus è turbâ rusticanus senex, sed, si fronti fides, veteris & patrii moris servantissimus, nec formâ Catoni Censorio, aut illi ab aratro Dictatori, Lucio Cincinnato, dissimilis; & oportunè, inquit, Capito laudare audes veterem avitamque mihique à multis jam annis probatam hydroposiam. Pudeat Mortales ex tam commodo facilique potu in tot numero species abiisse, & quasi Naturæ fastum facere vellent, artificio excogitatâque operâ unum illum communemque tot gentibus laticem depravasse. Caji Marii exercitus, cum peregrè agenti molliculi & assueti potus deficerent, lacunas puteosque recusabat: sed Imperator cunctanti, en aquam, inquit, si viri estis, molliciemque unâ exprobravit ostenditque, quod sitienti satis esset, aquam. Ego certè

certè uno isto potu ætatem attigi firmus usque animique potens; neque enim unquam crassæ aut igneæ vinorum fæces ventrem mihi aut cerebrum inquinarunt, sed in tenui illo domesticoque liquore constans semper fuit validitudinis præsidium. Hic Capito lætatus se reperisse hominem non planè à genio suo alienum, & ipse hunc vitæ ordinem in personâ rusticantis Mopsi carmine prosequi gestiebat. Itaque infit,

Sint teneræ mollesque offæ, sint fercula mille,
Fercula supremo vel placitura Jovi.
Non ea pagano sunt commoda, crede, palato,
Nec sunt visceribus fercula digna meis.
Dura iuvent alimenta, & quæ mea gleba ministrat
Sperno peregrinum, Trossule, ventris onus.
Carduus est Lactuca mihi, mihi Brassica sola
Sufficit, & cœna hæc ambitiosa venit.
Est mihi inemta salus promptéque parabilis unda,
At procul à Sinicis unda petita focis.
Non quæ fictilibus rutilante nec ardet in auro
Nec quâ Adamas, nec quâ læve superbit Ebur.
Sed manus, ut nuda est nulloque emblemate sculpta,
Sed cava, quæ calicem flectere docta valet.
Quæ Gidionitas olim cava ritè probavit,
Quæque hodie fortes, quæ probat esse viros,
Illa decent crudos duroque sub aëre natos,
Non alio constat rustica vita modo.
Naturam sequor usque, est naturale quod opto,
Artifici damno pocula mista manu.
Sic, dum Naturæ vestigia sector eundo,
Dat mihi securo vivere datque mori

Hic

Hic ſe extulit Juvenis imaginoſus & non aliter ac Craſſus ille ἀγέλαςος in riſum ſolutus, & verò, inquit, ad glandes quoque redire te æquum eſt, qui tam ineptè ſapis, ut & in aquâ reperias, quod ſaporem deliniat. Sit fueritque olim aqua rupicolarum, ut fuere primi omnium, delicium; at nunc poſt monſtrata vina, poſt liquatam artificio Cererem, poſt tot alterius orbis vinnulos potus ad fontes redire velle & ingratum eſſet & corpori in illâ ingluvie damnoſum. Quid quod hoc quoque in Natuæ ſemper mutabilis fraudem fieri videatur, iisdem usque eſſe contentum. Eſt varia Natura & ipſa in ſe revolvitur, & ut materia ſemper ſit eadem, mirificâ tamen ludentium qualitatum varietate hanc ſcenam inſtruit. Hic Vindicianus, qui aurem & carmini & Juveni præbuerat, non de nihilo eſt, inquit, quod & hic & alter, quisque ex ingenio, dixere. Et ut Juveni noſtro in hoc occurram, eſt, pergit, lingua jam pridem aquæ deſueta, & niſi acido, dulci amarove ſapore ſollicitetur, non fruſtra vappam eſſe, quæ gulam tranſit, arbitratur. Habet nunc lingua ingenium, habet figuratos cylindricosque, ut hoc intuenti patet, canales, acutiſſimi planè & exercitati ſenſus, quos niſi inundantis potus gratia demulceat, jacet libido guſtusque friget. Voluptarius quisque, ut eſt ventri deditus, alit deſides in nervis ſpiritus, qui cibi potusque gratiam explorent, quæ niſi guſtui quisque ſuo propitia offendat, atque congrua, velut inimica recuſat. Eſt hæc linguæ fortuna à multis jam ſeculis excultæ perque tot ſapores verſatæ, ut quæ grata ſint, facilè diſcernat. Et ſanè Naturæ hoc quoque militat, non averſari ea, quæ linguæ probantur, modò ne corpus damnum accipiat.

Adeo ego qualitate potus artificio variatâ multiplicem & ingenii & Naturæ vim ostendi arbitror. Sed in hoc plurimum peccamus mortales quòd quæsitæ oris gratiæ & repertæ nimium indulgeamus, atque ita appetitu sollicitati vitia in corpus, non perinde suffecturum insatiabili gulæ, transmittamus. Offendere quidem gulam non debet, quod corpori est profuturum, sed nec blandiri nimium, quod nociturum. Ubique est tenendus modus, & sanctissima nostri pars, anima, gulæ indulgentiâ non temere profananda. Et ut ad rem veniam, non possunt aquæ, ut sunt frigidæ atque impuræ in illâ gulæ corruptelâ sufficere. Quid, quod nec ibi, ubi olim frigidam potarunt, solæ hodie prosint, mutato post tot seculorum lapsum vitæ ordine. Hinc in Italiâ quoque & Galliis usitatum crama aliter aliterque pro valitudinis natura temperandum. Rustici, cum diætam illorum inclementia Herorum contraxerit, aquâ etiamnum contenti vivunt, & si fortè κακοστομαχίαν aliunde conceperunt, vino, tanquam remedio, sibi medentur; quò intelligat certâ ratione aliquid esse potulentum & medicatum. Ad hæc Capito, vellem autem, inquit, naturam potus paulò altius repeteres, quò sic de Theæ ingenio melius constare posset, neque enim in Medicorum commentariis, quod mihi videtur, naturâ eorum satis deducta, omnibus diversum sentientibus. Cui Vindicianus, illa, inquit, disputatio huc transferri non debuit, quod plures hic sint præsentes, quos terminorum divisionumque illa moles offendere possit: quantum tamen per conventum hunc licet; breviter designabo, quæ mea sit ea de re sententia. Potus ergo est vel artificialis vel naturalis, & quamvis utriusque

ma-

materia à Naturâ ſit, plurimum tamen iſti ab Arte manusque elegantiâ accedit. Artificialis rurſum ex fine æſtimari poteſt, ut ſit vel nutricius, vel medicatus, aut inebrians; hic iterum, diſtinctis gradibus, vel lætificans, vel inſaniam aut ſoporem animo inducens, omnes modum naturalis potus prætergreſſi, ut qui nihil iſtorum habeat, & neque alat, neque ullo modo corpus immutet, cujus exemplum aqua tantum præbet, illa plerisque jam gentibus neglecta. Uſus etiam effecit, ut potus quamvis nutricii ſpiritu perfunderentur volatili inebriante, quò idem & alere corpus & accendere animum videretur. De iſtis autem eruditum legimus criticumque H. Meibomii commentarium. In univerſum autem mirari ſoleo, vix gentem eſſe tam immanitate barbaram, quæ non aliquem inſtaurandis erigendisque animis potum invenerit. Equidem, ut ſint Nationes, quibus in potum aquæ cedant, crudæ illæ & incoctæ, nec temere alibili utantur potu, habent tamen condituram quandam, quâ ſe inebrient ſegnemq; animum aut labantem provocent. Habent ex Oryza *Arac* ſuum Indi, Africani Vinum de Palmâ; Ex *Mandiocâ*, *Batatas*, *Aipii*, *Acaju* Saccaro aliisque Americani, adſperſa luſtrali anicularum ſalivâ, inebriamen quoddam ad invidiam jucundum. Tartaros ex lacte quoque Siceram conficere neceſſitas impulit. Lithuani Mulſo Medoneque exſultant. Germanorum deliciæ vinum hordeatum ſive Cereviſia ex Hordio, Siligine aliisque confecta. Galli habent ſuum *Cidre*, ſi vina excipias, non tam ad potum quam inebriamen repertum; unde non immerito Stuckius in antiquitatibus convivalibus arbitratur à Veterum Sicera nomenclaturam hanc derivatam eſſe. Jam verò

Vinum, illud Naturæ depositum, cujus vim jam tum expertus erat Noachus, non aliter atque aqua, inundasse terrarum orbem videtur, adeo etiam, ubi vitis non est, vinum tamen bibitur, commercio rerum humanarum. Soli Turcæ, sive æmulatione Nazaræorum, seu studio Legis Muhammedanæ, vinum declinant. Sed tamen, ne quid simile ejus deesset, mirificè sollicitarunt Naturam, &, quod in vino non poterant, in aliis, in *Maslach*, *Bangue*, *Datyrâ* quæsiverunt. Tanto verò conatu inebriamina ista laudantur, ut maxime in hoc gentes certent, quæ inebriamen aliud alio validius conficiant: & ne Popularium nostrorum hic ingenium, quos ebriæ Cereris amor pridem suspectos reddidit, prætercam, tot ibi sunt *Birarum*, unde unde nomen hoc natum, conditurae, ut singulæ ferè in Germaniâ Septentrionali urbes peculiarem sibi vindicent, statim cum aquæ alveo & misturæ ingredientiumque varietate mutato elogio. Et primum quidem alituræ modum, quod imprimis in *Bîris* quoque â nostris quæritur frumenta variant, Hordeum, Triticum, Spelta, Avena & alia; inebriamen verò & ipsum â condituris mirificaque specierum aut Herbarum misturâ modum accipit. Ut autem ferè hoc unum in Inebriamine aut Sicera quæratur, ut animum nonnihil mutet & tristitiâ affectum vel gaudio excitet, aut blandâ soporis nocte obducat; his tamen vix etiam contenti flagitiosi mangones alia subjecere, quæ sulfureis salinisque vaporibus ad furorem atque insaniam, simultates & odia impellerent hominemque sibi eriperent; quando & hoc apud Asotos invaluerit, ut non ante humanitatem excipientis laudandam putent, quàm rationis usus sit interceptus. Atque in eum finem

tot

tot adſcitæ herbæ, etiam veneni damnatæ. Amaras verò illas & medicatas tam ego neceſſarias in Birarum confecturâ exiſtimo, ut absque his eſſet, valitudo bibentium periclitaretur: quid enim aliud à viſco illo & extortâ frumentorum ſanie exſpectandum, quàm ut limosâ fæce venarum minima occupando potus ſimplicis & nudi naturam in pejus inclinet. Hoc vitium neceſſe amara corrigant, non tantum, ut à ſitu immunis conſtet, quod & ipſum beneficium eſt non lege, verum etiam, ut lentum farinaceumque gluten, quod biras reddit alibiles, ſpiculato amarorum ſale attenuetur, perque venarum minima & ipſos Renes adigatur. Latet tamen etiam tum in frumentis omnibus, tum fructibus, pomis, pyris, ex quibus ſiceras ſuas plurimæ nationes conficiunt, ſpiritus aliquis centralis, inebrians, qui, ubi fermentatione prodiit, caput ſpiritusque inſtaurat, ſi modicè bibatur, ſi pluſculum, inebriat; poteratque adeo bibula natio hoc uno contenta eſſe, niſi inſaniendi cupiditas alia quoque advocaſſet, ex parte triſtia turbidaque. Unus lupulus, optimus Cereviſiarum cuſtos & aceſcentis vappæ averruncus, meritò cæteris præfertur condimentis; ut mirari debeam, quo nomine ſalutarem herbam condiendisque cereviſiis natam veluti infamen & veneni ſuſpectam, toto regno proſcripſerint olim Angli, ſed quem, monſtratâ utilitate, non diu poſt revocarunt. Neſcio tamen, quomodo, etſi ad ſervandas cereviſias lupulus neceſſarius, & ori placere cæperit, &, ſine hoc ſit, earum paſſim commendatio frigeat. Alia autem illa condimenta, quibus cereviſiæ variantur, à bibaculorum temeritate laudem acceperunt. Hinc excogitata peſſima nomina, Fuligo, Hyoſcyamus,

Conyza, Myrtus Brabantica, Serpillum quoddam ſylveſtre, quo Medones ſuos Lituani corrumpunt & inflammant, & alia bene multa, quæ quæſtuoſa privatorum utilitas ſelegit. Ut taceam Indos, Ægyptiosque potibus ſuis & Datyram & Aſſis ſeu Cannabin herbam adſpergere, quæ phantaſiam excitent nutantem ſomniisque levibus & inanibus quietem interpolent. Extenderat paulùm hunc ſermonem Vindicianus, cum juvenis, credo, terminorum inſolentiâ & tædio non intellecti ſermonis, clanculum aufugeret, & Capitonem aliosque, qui aderant, invicem committeret. Igitur Capito, non leviter, inquit, afficior ſermone tuo & id imprimis miror, ſolos Muhammedanos & Siceram & inebriamen refugere, non minimo noſtrorum opprobrio, ut qui, cum eadem Chriſto auctore profiteantur, tamen gulæ magis ingenio & ventri, quàm piis Servatoris ſui monitis, obediant. Cui Vindicianus, id verò, inquit, jam attigi, eſſe illis medicatos tantum aut alibiles potus, ut in Sarbet atque Coâva, nutriciæ pariter & medicatæ fabæ, quam Bon nominant, progenie oſtendunt; monui tamen etiam eſſe illis inebriaminum inſtar, & Maslach & Amfiam & Aſſis & Bangue & alia; ſed non temere, & ex voluptate quæſitâ occaſione, illa potari, verum ubi vel ad claſſicum incendendus eſt animus aut amoribus levitatique aut deſperationi tradendus: Neque enim, quod noſtri faciunt, convenire illos in hoc videas, ut ſe inebrient, ut rationem convellant, ſed ut ſobriâ & ſponte natâ urbanitate ocium eximant. Hic iterum Capito, ne longius, inquit, à propoſito deturbemur, agè Vindiciane, oſtende, qui ſint medicati illi potus, quos paulò antè deſignabat. Cui alter,

ferè,

ferè, inquit, omnes quos Mortalium levitas gulæ destinavit; nullum enim planè est factitiorum genus, quod non delinimento aliquo vel ad gulæ gratiam aut ad valitudinem compositum deprehendas. Propinant, fateor, Medici quoque vina sua, suas Cerevisias, aquas, medicaminum passim nidore delibutos potus, sed quos, veluti minus ad palatum factos ex facili adspernari bibaculi solent. Externi verò potus ad unum omnes, quamvis gulæ ingenium iis quoque gratiam adsciverit, medicatum quid sapiunt. Quod in Chocolate in Coffi & Theâ nostrâ facilè apparet, ut qui potus ad sanitatem tum tuendam, tum percurandam utiles laudantur. Adeo mirum non est Metropolin Anglorum, Londinum, elogiis Coffi & The totam esse repletam, nec ullum ibi ἀσωτίας genus esse frequentius, quàm inter Coffi Theæque manantes rivos, adeo & à sobriâ illa Thermoposiâ in cætibus periculum esse majus, quam â vinosâ ebrietate; quippe quòd liberior & constans inter aquas dicacitas seditionis in Remp. discordiarumq; ministret materiam. Quare novum esse nemini debet, tot edictis Regiis fibulam tabernis istis modumque imponi, quamvis eo successu, quo de Mathematicis olim Romæ, de quibus Tacitus; *Genus hominum sperantibus fallax, petentibus infidum, quod semper in hac urbe & vetabitur & retinebitur.* Thea autem cum minus nutriat, quam cæteri potus, tota medicata censenda est, etsi temperamentum quoque à diluto accipiat. Vix intonuerat auribus nomen Theæ, cum Capito, ad illam ergo, inquit, velim viam remetiaris, tot enim diverticulis à vero ejus elogio remotus aviditatem nostram adhucdum moraris. Hic, Vindicianus, istis inquit, ambagibus fuit

opus,

opus, tùm, ut comparatione ſimilium inſtitutâ unius natura melius innoteſceret, tum, ut certæ materiæ tædio facilè ſuccumbentes varietas detineret. Adeo tui etiam honoris causâ, quod non temerè aliàs feciſſem, argumentum orationis paulò latius deduxi. Et in hoc, inquit, Capito, niſi devotionem meam faſtidias, gratias tibi ago maximas, fateorque me non parum affectum novo & pridem deſueto colloquii genere, optare eam temporum conditionem, quæ ſtudiis illis ſi non faveat, certè non obſiſtat. At tu Vindiciane, quâ es generoſitate, contemne ſeculi injuriam, & mihi de Theæ viribus uſuque ſollicito, quæ ſentis, aperire ne graveris. Ergo ut tibi morem geram, ſentio, inquit, eſſe illum potum non naturalem, niſi quâ aquam participat, ſed medicatum ſed ſalubrem, ut qui maxime, niſi nimia ejus Thermopoſia effectum fruſtretur. Nam & hoc eſt quàm familiare, abuſus vitia in uſum transferre, & quod mortalium errori debebatur, innoxia rei imputare. Audio, inquit Capito, ſalubrem eſſe Potum, adeo promiſcuè eum omnibus & ſine exceptione ſervire. Enimvero neque hoc volo, inquit Vindicianus, eſſe eum omnibus perinde corporibus idoneum, ſed pleriſque, maxime autem iis, quibus populare aliquod contagium valitudinem infirmavit; quod ut nullis non gentibus evenit, ita Septentrionalibus commune eſt & domeſticum malum, Scorbutus, qui tantum non omnibus ſingulisque aliquam ſui corruptelam adſperſit. Eſt ille morbus coaguli acetoſi ſpecies & quidam corrupti ſanguinis mucor, cujus floſculos, ſi ita placet, calor ſolitò major in ſuperficiem extrudit, & variegantium puſtularum ſpecie velut decretorii infixique

mor-

morbi notis mirificè defædat. Habet quidem & jactat ſpecifica ſua vulgus, Raphanum, Naſturtium, Becabungam, Cochleariam, Trifolium, & ſi quæ ſalis acrimoniâ linguam vehementius ſollicitant; ſed & illa bilem contagii ſociam ſæpius exaſperant, & diuturno tandem uſu faſtidium inducunt. Adeo ego in morbo tam obſtinato, tam omnibus fibris nervisq; inſito nihil magis profuturum exiſtimo, quàm quod lento blandoque nec poſt moras faſtidito uſu ſolvere coägulum ſanguinique reddere juſtam tenuitatem poſſit; ſolent autem, quæ lentis gradibus operantur, Naturam minus infringere & ſecurius præſtare auxilium: Quod cum in Theæ quoque experientia oſtendat, non eſt, cur illi prærogativam hanc negem, quam plerarumque gentium elogio accepit. Beatam ergo regionem! exclamat Capito, quæ tam ſalutarem herbam & oſtendit prima & exemplo probavit. Imo verò, inquit alter, beatiſſimam! in illâ enim nutantis valitudinis neceſſitate non puto meliorem potum reperiri poſſe, quàm eſt hic ipſe, ut qui maximam partem ſit aqua, adeoq; naturalis, inde & Balſamicâ medicatâque virtute, quâ omnes ferè gentes indigent, perfuſus. Eſt verò hoc quoque inter alia bonitatis argumentum, quod non facilè ſitum contrahat, quantumvis diu ſervatus, non aceſcat, neque in mucum aut gluten farinaceum tartareumve reſolvatur, quod potibus pleriſque factitiis eſt proprium, non igneo ſpiritu caput ſanguinemque inflammet, quo vitio vina laborant; ſale volatili eoque molliter ſpiculato & ipsâ calidâ fluorem ſuccorum naturalem uſque tuetur, blandulâque adſtrictione tonum viſcerum Stomachiq; nutantis commodè firmat. Cui Capito, itaque eſt, inquit, po-

tus ille planè medicatus, adeo & in illâ frequentiâ fastidium subrepere bibentibus omnino debet. Ad quæ Vindicianus, est, inquit, potus ille aliorum instar, qui in hoc facti sunt, ut, præterquam quod gulæ serviant, etiam populare contagium, quod plerique omnes trahimus, lento quotidianoque usu si non exstirpent, certè emendent. Jam ne de fastidio queraris, ipsa illa consuetudo tædiosos quantumvis potus tandem ori conciliat. Maxima pars Germaniæ, amaris nunc assuevit & lupulatis potibus, quos etsi morosius palatum initiò facile fastidiat, cum tempore tamen acceptissimos habet. Ita autem velim cum Theâ quoque comparatum esse ipse tibi in animum inducas, quando amara illa adstrictio calidæ diluto pulchrè temperetur. Hic iterum Capito, libenter, inquit, à te resciscam, quâ ratione gens illa tam Barbara & à morum, corporisque cultu aliena hunc potum invenerit. Ubi Vindicianus, inepta, inquit, curiositas, & cui in illa commentariorum gentilium obscuritate ægrè satisfiat. Nosti autem pleraque istius nationis artificia in arcanis haberi, & peregrinum quemque, veluti profanum, à sacris illis arceri. Ut ne verò in eo gentis aliquam prudentiam sitam esse putes, respice quæso, ut pulcherrima quæque non natio aliqua aut arbiter spiritus, sed fortunæ casus primùm ostenderit. In eo tamen laudare illorum prudentiam oportet, quod cognitum jam à tot annis potum tamdiu servaverint, nec temere alio permutaverint, quæ levitas est nostri orbis. De ingenio tamen cum Chinensium tum Japonensium non est quod dubites; quid enim illa in Mechanicis mirifica ἐγχείρησις, illa colorum Laccæ inimitabilis temperies, illa telarum textura, illæ operum moles

&

& ædificiorum commodæ atque ad amuſſim factæ ſtationes, quid aliud, quàm ſingularem animi vim arguunt? In Medicinâ autem, neſcio quo Spiritu ductore, ſubtilitates affectant ingenio noſtro majores, & in Pulſuum quidem Urinarumque qualitatibus ſtupenda eſt gentis curioſitas, quam niſi ex autographo nobis exhibuiſſet Cleyerus omnē fidem ſuperaret. Adeo tu hallucinari illos putas, qui pridem Europæ faſtum faciunt, qui de linguæ prærogativâ, de elegantiſſimarum rerum inventione, in quo & exteros & noſtri orbis colonos habuere ſuffragatores, nobis cum certant. Conticuit ad hæc Capito & ad Theam reverſus, an ergo, inquit, omne emolumentum, quod Herbæ imputatur vili & abjectæ, eidem tu quoque imputandum cenſes non etiam Calidæ? niſi enim fallor, ejus quoque vires aliquas agnoſcere viſus es. Ubi Vindicianus, id quidem, ait, oportunè mones; nam ſi quæ ſunt in Theâ vires, quas puto eſſe maximas, multum tamen illæ à Calida & invaleſcunt & numeris augentur. Eſt autem aqua etiam calida fuitque olim, medicatus ſtomachoque utilis potus, quamvis cum temporum Aſotorum quoque gulæ, tanta vis eſt libidinis in contraria euntis, in deliciis eſſe cæperit, mox tamen iterum, ut ſunt rerum vices, deſierit. Hodie tamen maxima pars orbis, Aſiani fere omnes, Chinenſes, Japones, Perſæ, Turcæ, inde & Ægyptus, copioſiſſimæ ſanè neque illæ ineptæ gentes, Americani quin etiam, calidæ uſum tum ad ſervandam valitudinem tum ad curandam familiariſſimum habent, ſolâ Europâ tanti beneficii, ante peregrinorum commercia, ignarâ. Adeo ſi nulla pro Thermopotantibus militaret ratio, tot gentium auctoritate atque exemplo probari facilè calidæ utilitas poſ-

 ſet,

fet. Juftus Lipfius, ὁ πάνυ, poftquam in Electorum libro Calidam non Romanis tantum fed & Græcis in ufu frequentiffimo fuiffe & Plauti & aliorum auctoritate demonftraverat, tandem & ipfe fugitivum morem revocari impensè optat. Et ut Freinshemius in eodem argumento doctè verfatus fuerit, Antonius tamen Perfius, Italus, fuâ linguâ, Romanis tum voluptatis tum medelæ, caufâ probatam fuiffe Thermopotationem pluribus oftendit. Hic Capito, ex Plauti, inquit, aliquot indiciis collegerim tabernas extitiffe in publico, ubi calidam petentibus abunde fufficeret, tempore imprimis Tiberii Neronis, quem & ipfum ob propenfionem in Calidam, cum Claudium deberent, affinitate cognominum inducti Caldium Biberium Meronem appellare confueverant urbani fcurræ. Ad quæ rurfum Vindicianus, Calidæ olim ufum fuiffe, quàm vulgarem, opinor, conftat, fed adeo illum apud noftros intercidiffe in tantâ aliarum gentium thermopotantium copiâ, ut nec veftigia amplius fuperfint, magnopere miror: gratulor autem illis, qui pridem cum amplificatis commerciis rei elegantis fimul & quæftuofæ, ufum retulerint. Cui Capito, dubito tamen, inquit, an implere exfpectationem noftram calida poffit, illa adeo gulæ contraria, ut Plinius fcripferit, *nullum animal calidos fequi potus præter hominem.* Itaque ego, ait Vindicianus, non ex ingenio gulæ in horas mutabilis, fed ufu æftimari Calidæ naturam velim. Sit aliquid, non ftatim recipi illam æquo appetitu; & vincit hoc confuetudo, vincunt imperata ad fanitatem euntia. Quin & hoc largior, ad unguem fanis integrisque corporibus non facilè Calidam nec conducere nec placere poffe; fed cum plerique

vi-

vitium circumferant populare, & nemo ferè sit, cui non subinde peregrinum vivendi genus incommodum stomacho adferat, illorum maximè habenda est ratio, non sanorum, quorum vix numerus est. Equidem vel propter Endemii morbi maculam, à quâ non facilè quis immunem præstare se potest, tractandum est hoc corpus ut causarium & obnoxium, prospiciendumque, ut lentò & quotidianis potionibus, qui in erigendâ valitudine plurimum possunt, vitium clandestinum vel deleatur aut minuatur. Ubi Capito, hoc ergo est, inquit, quod à Calidâ exspectas? Imo, inquit alter, est cur in Septentrione humorumque coâgulo, quæ fere una morborum origo, Calidæ multum tribuam, sed sale aliquo volatili animatæ longè plurimum; quem etsi aliæ quoque herbæ suppeditare & refundere in aquam soleant, dubito tamen, an sit, quod æquare commoda utilitatesq; Theæ peregrinæ possit. Neque tamen ita sum Calidæ addictus, ut semper & ubique eam sectandam putem, sed tum maximè, cum ea est aquarum natura, ut crassitudine sua & fæce officiant, quam nisi coctura ejusq; comes fermentatio correxerint, omnino in usum vocari non debent. Aliæ leves à calore hoc quoque habent, ut ventris venarumque aditus citius pererrent, nec facilè, quod frigidæ est vitium, alibi moras nectant. Jam cum ipsa illa aqua nuda sit nullarumque admodum qualitatum, nec acidi nec salsi particeps, bibit in se, ut est vacua, salium toto sanguine errantium spicula, unâque vel ad emunctoria deducit aut paulatim detondet; facit autem hoc potentius, quò est calidior, ita enim ad minimas fugientium venarum latebras propellitur. Est ergo non leve hoc beneficium, quod omnibus promiscuè

temperamentis adhiberi poſſit, modò ventriculus, qui & ipſe nonnunquam initio ad aquarum molliciem fatiſcit, reſpondeat. Certè, ſi qualitatem ſpectas aquæ puræ, ſed calidæ atque excoctæ, nihil reperias ſuccis corporis noſtri adfinius, qui ſunt ipſi & dulces & calidi; ſi copiam, nihil in eâ infeſti, dum exitum reperiat; ſi vias & ductus, una illa Naturæ obſequitur, omnibus perinde excretionibus idonea, nam & alvum, ſi in eam fæces propendent, ducit, & ad urinæ vias & ad ſudores pari impetu & ſe & morbidi fermenti reliquias magno laborantium commodo convertit; nam illæ ſalium tincturæ, quibus plerique morbi innituntur, ſæpiſſime illo diluvio vel eluuntur aut, ut ſolent acria quæque lotionibus miteſcere, temperantur, ut mirum non ſit medicos peritiores tam ſalutarem Calidæ uſum expertos eſſe, ut etiam febrium plurimas illa ſolâ feliciter ſuperatint. Certè hoc indicio novi ego Archiatrum clariſſimum, non in Calculo tantum aut Podagrâ ſed & variis febribus, etiam ardentibus, plurimum profeciſſe. Propinabat ille Calidam, poſtquam conſtaret de Naturæ proclivitate, & cunctantem copiâ & calore usque eò provocabat, donec in Excretoria erumperet; neque tum mora, quin liberaliſſimos, in illâ imprimis ardentium ſiccitate, indulgeret hauſtus, magnâ ad ſanitatem compendiariâ. Quidquod Calidæ uſum in Arthritide & calculo, & lacti & aliis juſculis prætulerim, quando nulla ibi acidi ſemina, quæ ſæpiſſime ibi è lacte emergere ſolent. Peregrinam rem narras, inquit Capito; ſi enim illa eſt animi tui ſententia, auctor ſim, ut morem illum repetas viamq; adeo compendioſam exemplo tuearis, ita enim & Laborantium crumenæ & valitudini conſulere te certum eſt.

Hic

Hic Vindicianus, neque illud, ait, intempestivè mones; quamvis autem res sit imitatione digna, tot tamen ibi reperias obstacula, ut non facilè in usum deduci possit laudata alioquin methodus. Primum enim nova affectanti Medico auctoritas sæpe deest & ad commendandum dignatio, sæpe etiam corruptus venter Calidam recusat aut diutius, quàm par est, moratur; aliquando & ipsi ægri tam vilem diobolaremque potum aversantur atque diffidentiâ successum eludunt. Jam aquæ etiam non ubique satis volatiles & defæcatæ, ut adhiberi tutò possint. Ego autem, si necessaria adsunt & circumstantiæ respondent, illam medendi viam cum magnâ utilitate & gratiâ conjunctam esse omnino sum persuasus; quamvis, ut nunc res sunt, dedecere Medicum tam vulgaris atque nota methodus videatur, ægrotantibus semper ad arcana quædam & specifica animum advertentibus. Nosti Capito ex diætâ & vitæ ordine plurimum ægris accidere boni, imo & ægros percurari posse, quando in plerisque convalescendi potentiam ipsa sibi Natura vindicat. Attamen, si quis hodie diætâ ejusque regulis artem suam probare ægris vellet, quod olim factum novimus; à diætariorum sectâ, pro inepto habeatur atque rerum ignaro. Insistendum ergo est in illo communi Mortalium errore, quâ itur, non quâ eundum est. Steterat hic aliquandiu Capito, & si ita, inquit, sentis, & illæ Calidæ tuæ sunt dotes, non video utique, an in Potu isto Theæ herbæ, an aquæ vires sint potiores. Enimvero, ait alter, in Calido potu omni, tum maxime Theæ illo, Coffi & Chocolatâ, non mediocres esse aquæ vires existimo, multò tamen auctiores, si tarditas illa & aquæ inertia spiculis quibusdam salutaris herbæ acuatur.

Ubi Capito, si in eo, inquit, res vertitur, ut aqua sale quodam animetur, esse ipsum salem volatilem statim in dissolutionem pronum, ecce tot numero herbas, quæ identidem ad Calidæ adfusum salem expromunt; ne jam putes in alterum orbem tot tædiis sumtibusque propterea enavigandum esse. Hic paulùm subridens alter, salva res est, inquit, si sale aliquo vim augeri aquarum existimas: arbitror autem jam ex anteactis constare, unum alio ad usus istos esse efficacius. Et ut concedam salem volatilem, ut est purus atque a cæteris elementis secretus, aliquot granis calidæ intermistum vires ejus mirificè augere, quod æmulatione quâdam in exprimendâ Essentia Bezoärticâ nonnullos fecisse scio, nihil tamen est, quod Theæ, herbæ planè singularis, vires gratiamque adæquet. Sint Herbæ quædam ei adfines, sed neque amaritudine illâ & junctâ ei adstrictione tam idoneæ offenduntur uti Thea illa. In delectu nuper Herbarum Veronicam deprehendimus utcunque viribus similem; sed ut sale volatili naturam Theæ æmuletur, est tamen, quod in adstrictione illâ desiderem. Sanè, quemadmodum colorum lineamentorumque, aut, si placet, fibrarum ideæ in unius speciei plantis sunt variæ, ita & virium particularis est atque numerica differentia, quod cum in omnibus Medici agnoscant, nescio cur in unâ Theâ hoc præterire velint. Ne ergo iniquè tecum agi existimes, considera, quæso, certas dari & sic proprias singulis herbis temperies, ut nullis aliis sint communes; quod nisi ultro fatearis in tantâ specierum individuorumque varietate, illæ tot numero qualitates accidentiaque facilè rem evincent. Est in Theâ aliquid negatum cæteris, sed quod, necessitate

tate

tate ferente, suppleri melius à Veronicâ quàm Myrto Brabanticâ, nudâ planè & agresti plantâ, possit. Habet cætera Veronica quoque virtutes Theæ persimiles, si aliorum elogiis credendum; adeo, quibus domestica sunt pretio, possent experiri, num virium quoque eadem esset fortuna, quæ Theæ, in quo fere non ambigo, si eadem viâ atque modo periculum fieret. Ad hæc Capito, dum Theæ inquit, laudas potionem, age Vindiciane, & ostende, cum unius tantum aquæ in præparatione illâ memineris, an non aliæ etiam conditura probandæ sint; nam & hic curiosuli nescio quid præferre videntur & lac & juscula. Ubi Vindicianus, ut non facilè, inquit, uno acquiescere solet varium & mutabile genus, ita reperit Asotia, quod libidini faveret; namque, hic quibus aqua sordet, juscula placuere carnea, ut quæ popularis pridem consuetudo stomacho accommodarat moroso; nonnullis etiam, quibus Lactis usus frequentabatur, in eo experiundam cocturam censuere. De jusculis autem hoc moneo, dum illa jam plus satis particulis nutriciis sunt occupata, non satis idonea esse ad hanc condituram; ut taceam particularum alias aliis obsistere ne effectum sortiantur; & cum præterea lenis sit plerumque Theæ mistura, tum à pinguedine, quæ comes est, tum à nutriciis elementis vires istas penitus obduci; quod idem de Lacte sentiendum puto. Accedit, quod nec illâ copia tum assumi Thea possit, quæ ad propulsandum aut eluendum morbosas atomos sufficiat. Id quidem non inficior, etiam Lactis acidum spirantis malignitatem, quæ sæpe in Podagricis adeo metuitur, Theæ misturâ corrigi, sed pinguis ille fibrosusque lactis cremor leviculam amaritudinem facilè obliterat, adeo

& vires obtundit. Cui Capito, credibile tamen est, inquit, lactis & jusculorum lentore siccitatem illam Theæ adeo suspectam expugnari posse. Hic Vindicianus, etsi, ait, Theam illam siccitatis damnaverat vir non inglorius, dubito tamen, an, si rectè rationem ponimus, ejusmodi illa sit, ut Europæos, tum imprimis Septentrionales, & ipsos sero vappâque inutili gravatos, abstinere ab usu ejus debeat; cum sicca pleraque experientia nobis utilia ostendat, &, si quid esset ibi supra modum exsiccans, utique copiâ illâ humidi pensari facile posset, imprimis, si tenuis sit & dilutior potus, uti esse eum debere novi censores & Theæ Panegyristæ non sine causâ voluere. Certè illorum mihi methodus semper suspecta est visa, qui non crassam tantum facere misturam, sed & pulverem inspergere aquæ non dubitant, adeo, dum humido minus temperatur, corpora naturâ sicciora lentè exsiccat innoxia alioquin herba. Atque istorum hic errorem notare habeo, qui non comparativè, uti factum oportet, sed absolutè & nullo habito respectu, de remediorum viribus decernunt, & unius regionis noxas commodaque universo applicant. Est semper qualitatum temperamentorumque & regionis & corporum habendus respectus, nec temere vitia unius alteri imputanda. Remedia sicca aliam necesse est experiantur sortem in siccis calidisque corporibus, quàm humidis, adeo aliter in Septentrione, aliter in meridie consideranda est illorum virtus. Sit Camphora in siccis calidisq; regionibus justo siccior & corpora eviret, at tantum abest, ut in septentrionalibus serosisque corporibus idem præstet, ut etiam attritâ humiditate potentiam augeat. Menthæ facultatem militantes olim suspectam habuere,

ut

ut quæ crederetur ob odoris virulentiam viros effæminare, sed & hæc humidioribus in solatium cedit, detractoque sero in Venerem impellit. Adeo ab hâc quidem parte, si quid metuendum periculi, Thea apud nos quidem noxæ erit immunis, utpote quæ siccitate suâ septentrionalium illam aquositatem pulchrè temperet. Habeant quod timeant sicciores gentes, Indi, & qui eis sunt vicini, attamen & illi modico Theæ usu & tenuiore diluto hoc efficient, ut à serosis influxibus, quibus & ipsi sunt obnoxii, facilius liberentur. Ad quæ Capito, nunc demum, inquit, audio, esse illam Theam veluti Panacæam, & quæ omnibus perinde gentibus inserviat. At verò virorum clarissimorum suffragia me penè induxerant, ut crederem sicciorem esse herbam, ut quæ vel illorum confessione sale volatili oleoque tenuiore perfunderetur. At hic Vindicianus sit hoc, inquit, & gaudeat sale volatili oleoso; verum si illâ notâ censeri siccitas debet, jam totam Aromaticorum familiam exsulare necesse est, quibus tamen plerique etiam calidorum climatum habitatores nimium quàm indulgent. Est quidem hoc nomine siccior herbæ temperies, quòd sale perfundatur volatili eoque oleoso; sed cæterorum quoque elementorum habenda est ratio, iis enim commodè efficitur, ut in aliam aliamque speciem, etiam numericam atque individualem communis illa qualitas determinetur. Est in Theâ sal aliquod, sed volatile & fugitivum, adeo sollicitè servari debet, est olei quiddam, sed tenuis admodum, nunc etiam peculiaris quædam & aliis negata adstrictio, quæ communem illam & aromatum æmulam qualitatem temperet. Atque ex istis sanè notis agnoscere facultates Theæ

non vulgares liceat. Sanè enim, ut quid corpori nostro succisque fiat adfine, sale gaudere debet volatili, quippe cujus motu copiâque vitalitatis robur & fluidorum illa agitatio nitatur. Frigent spirituum influxus, & sanguis ipse concrescit, si sale destituitur volatili, adeo hujus mobilitate omnia animantur novamque vitam recipiunt: at hoc pluribus quoque commune est. Nunc verò adstrictio Theæ tam propria, illa olei vires sic temperat, ut non facilè accendat, jam etiam complexu suo volatile istud fovet, ut non facilè evaporet, sed in sanguinem succosq; delatum lentis progressibus fermenta corrigat, & quod singulare est adstrictivi salis beneficium, viscerum solidorumque tonum; qui plurimum in Chronicis, tum maximè scorbuto, labefactatur, firmet. Ibi Capito & hoc, inquit, solâ Theâ consequi te posse putas. Id verò, ait alter, puto, non ut nuda est & sicca, ita enim nimium constringat, sed ut calidâ temperatur; ut enim una nimium adstringit, altera nimium laxat, ita ex utriusque misturâ pulchra oritur & idonea corpori temperies. Adeo mihi quoque committere fallaciam divisionis videntur, qui, cum de Theâ censuram ferunt, de illâ, ut in se est, arbitrantur, non ut humido & calido permistâ; id quod fieri debuit tum in hoc tum in alio omni remediorum genere. Quid quod credam ex misturæ modo totum hoc artificium pendere, quamvis difficile sit illud ipsum verbis definire, cujusque temperamento modum illum satis indicante. Interpellabat hic Capito, & si ita, inquit, res habet, cur singuli Medici, & illi Theæ proxenetæ, suo fruuntur genio, & qui semel uni alterique placere modus cæpit, promiscuè omnibus commendatur? Faciunt hoc,

in-

inquit Vindicianus, populari quodam errore inducti; nam Medici fere omnes, nescio autem, qua sui fiducia, quos in se paucisque aliis experti sunt remediorum successus sine discrimine statim laudare invitisque tantum non obtrudere consuevere, nullo jam temperamentorum corporumque habito respectu. Atque eam ob causam parum abest, quin in risum solvar, quando in Theæ tabernis aut Thermopoliis diversissimæ naturæ hospites coire video, & eâdem passim formulâ, eodem diluto uti, jamq; etiam consuetudine errantium securos singulos sibi suam promittere salutem, eventu, si penitius inspicias, minimè respondente. Ego autem, cum post maturam consultationem deprehendam aliud aliis esse opus, nec temere diversissima corpora unâ eâdemque formula sanari, existimo, uti in aquarum Thermalium, ita in Theæ quoque usu delectum esse habendum temperamentorum, & cum nemo sibi in hoc facilè consulere possit, medicos esse compellandos ejus rei peritos, qui modum tempus copiamque cum ratione definiant. Ibi Capito, rem, inquit, seriò agere videris, qui adeo circumspectè disputas. Verum, si ad illorum corpora animum advertas, quos quotidie in Tabernis ociosos videmus Theæque rivis perfusos, utique neminem facilè reperias, qui potum illum non laudet, & sibi bene ab eo esse non putet. Ibi Vindicianus, non inficior, inquit, Capito, bibaculam illam gentem, quæ in hoc tantùm in Tabernas irrepit, ut ocium fallat confabulandique habeat copiam, parum esse sollicitam, quantum ad sanitatem potus ille conferat; & ut sit sollicita, tamen propter potandi consuetudinem & stomachi valentis robur omnino nullam tum ab illo, tum alio quo-

vis

vis potu, sentire corporis mutationem nisi illam, quod urinas humoresque celerius in isto calore propulset circumgyretque. Quare eorum judicio acquiescere quemquam nolim, sed causariorum imprimis, & quibus in humoribus aut ventriculo Renibusque vitium est; illorum enim paucos reperies, qui non ad commodum oportunumque usum bibendiq; ordinem in melius convalescant. At si qui, quorum ego plures vidi, ut sodalitati placerent, sine lege & ordine fictilia una ex aliis evacuarent, plerisque illorum malè cessisse hunc usum testari possum; quid quod Sempronio nuper, homini valitudinario & Scorbuticâ saburrâ pleno, cum amici cujusdam invitatione ad hoc genus potus esset delatus, post frequentatos aliquot Theæ immodicos haustus, nec facilè vel ab alvo aut urinis prodeuntes, & Palpitatio cordis & pulsus intermittens & alia obtigerint infesta symptomata. Hic Capito, ô detestandum, inquit, potum, qui valitudinem inclinet in pejus; unde ergo, pergit, illa tua fiducia & de potu tam periculoso existimatio? Id, inquit Vindicianus, nolim te perturbet; si enim tristium casuum exemplo meriri vires remedii non dubitas, nulla planè erunt immunia, pleraque etiam ob abusum infamia. Quotus quisque enim est, qui non Vini, saluberrimi alioquin succi, abusum pestiferum deprehenderit. Novi ego Hypochondriacos, quibus à paulo liberaliore vini Rhenani potu, venæ statim omnes intumescant, pulsent, palpitationes subeant cordis, Lipothymiæ, sudores frigidi, & alia valde tristia. Iniquus tamen sis, mi Capito, si propterea Vinum velut noxium damnes. Ubi alter, etsi, inquit, à vino accidere ejusmodi mala possint, non tamen est, cur hoc à Theæ potu,
quem

quem pridem tanquam Panacæam laudare visus es, exspectes. Imo verò, inquit Vindicianus, cum optimorum quoque usus intempestivus plurima creet mala, non est cur Theam eximam; namque, ut copiosâ & subitâ sorbillatione ingeritur, in pituitosis sæpe corporibus moras nectit multâque molitione ventrem atque viscera perturbat. Et in adnotato quidem casu duo offendi; primùm, à calido illo potu lentam pituitam commotam quidem & in flatus redactam, sed non penitus solutam fuisse, flatus verò ipsos unà cum calidâ in sanguinem delatos hydraulicum illum sanguinis motum non parum labefactasse: deinde ob viscosi phlegmatis copiam aquas plus justò in intestinis detentas, tandem nec ab alvo neque urinis rejectas, sanguinem misturâ suâ depravâsse. Adeo, quod passim observari voluit Hippocrates ante pharmaci usum corporum εὐῤῥοίαν procurandam esse, quodque hodie Thermarum potatores sollicitè curant, id hic etiam tentandum esse omnino sum persuasus. Itaque Theæ potores corpus antè suum explorent, necesse est, utrum saburrâ laboret pituitosâ, an verò vacuum sit & utcunque liberum. Quòd si plenum sit, ante detrahenda est pars pituitæ, ne aquas diutius, quàm par est, moretur; deinde fortiore tincturâ Theæ calidâ imbuenda, ut quæ tum quoque aptior sit attenuandæ pituitæ atque everrendæ: quod si corpus aquæ copiam tolerare possit, quod nonnullis evenit, & bilis vitium est, liberalius etiam ingurgitanda, sed non nimium saturata. At si seri copia corpus inundat, plenior infusio crassiorque hoc minus officiet, quò validius exsiccat. In omnibus tamen spectanda corporis fluiditas, & num pori excipiendo humido emittendoque sint ido-

donei;nam nobis ab aquæ usu desuetis id imprimis operam dum, ut à corpore quàm citissimè ejiciatur; uti id quoque Thermarum custodes in suis potoribus desiderant. Novi ego, ubi calore potus in ventre propter moram remittente lentius in sanguinem prorepat aquæ flumen, atque ibi tandem calore destitutum motum fluidorum aut sufflaminet aut retardet. Adeo, quod Theæ aliàs proprium non est, cum vigiliæ deberent, contrariâ ratione, somnos vidi succedere & frigusculum febrile. Atque hinc natæ in Theam contumeliæ alios quoque absterruere, quibus potus ille repertus esset longè utilissimus. Auctor ergo sim, ne, qui Theæ volunt esse Vindices ac propugnatores, non temerè nec promiscuè quemvis, ut libido impellit, ad sacra illa admittant; ita enim futurum est ut uni alterique obortæ noxæ salutarem quoque & tempestivum ejus usum infament. Chinensium hic exemplo videndum est, qui ordine quodam Theæ potum sectantur & valitudini magis quàm voluptati litant. Quid autem hic nostri, nempe ut alio omni, ita & hoc potu, abutuntur multumque extra ordinem indulgent, bene sibi consuluisse rati, modò damnum non sentiant pravâ consuetudine durati. Plurimos autem ego video jam saturos vinosæ libidinis ad Theam properare, quo citius desæviat conceptus ex vino calor & ad novam ingluviem fessum pridem corpus præparetur. Hic Capito, pestilentem, inquit, errorem, sed hoc excusatiorem, quo plures eum errant. Fateor equidem insignes esse illas potus tui dotes & penè invidendos, quod oneratum vino corpus facilè reficiat, quod aciditatem vinosi laticis sale suo infringat, quod potum in ventre morantem propellat, quod vapores capiti infe-

stos

ftos coërceat, quod ventriculum ad copiam humidi vinosi fluctuantem blandâ adstrictione corroboret; sed illud oportet necessitati serviat, non libidini, ne fiduciâ remedii peccandi immunitatem probemus. Sed tamen ignosces mihi, spero, si hic quoq; , uti alias monui, dubitem, utrum Theæ an Calidæ vires sint majores; Ubi Vindicianus, id, inquit, jam dudum confectum existimavi, esse nimirum utriusque hic vires, aquam tamen per se invalidiorem spiculis Theæ animari, Theam rursum in se acerbiorem aquæ corrigi diluvio. Equidem, si Calida, ut fervet, temulento ingeratur, nec facilè subsistat, credo illam eodem diluvio & Phlegma Vini abripere & igneum spiritum frænare, adeo & incommoda vinum subeuntia ex facili dispellere. Sed evidentiorem illum effectum esse non dubitandum, si Calida sale aliquo armetur; atque hinc video nonnullos & spiritum C. Cervi essentificatum & salis ammoniaci ad arcendam ebrietatem vino utiliter miscuisse, quo nempe acidum sulfureumque Vini Phlegma, quod morâ suâ capiti infestum, aut infringeretur aut ad urinarias vias citius transiret, At quia salis puri subtilitas calidam vix sustinet, herbæ delectæ sunt, quæ sale quidem volatili sed adstrictivis aliisque particulis intexto aquæ vires augerent. Atque hinc nata mirifica Theæ commendatio, quæ, præterquam, quod acidum vini contemperet, etiam viscerum consolidat tonum & calidâ adjuta ad vias urinarias adfectat viam, eodemque perpluvio, quidquid inest noxii phlegmatis, præcipitat. In universum tamen necesse est, ut calida bibatur, imo ferventissima; quo sic calore impulsa minima quæque ventriculi & interaneorum pererret, peregrinumque acidum toto corpore pro-

pulset. Hinc pitissatio inventa, quâ distinctis oris flatibus ferventis potus intemperies linguæ concilietur, nec tamen refrigeretur, quod vel ideo necessarium puto, ne ad longiores halitus remissus calor tardius in ventrem, tardius in sanguinem prorepat. Sanè & hinc noxas oriri vidi, quod nonnulli, cum inter pocula tempus fabulando extraxissent, refrigerari passi sint potum, & adeo moræ in intestinis venisque occasionem præbuerint. Nam ideo quoque Calidâ est opus in Theæ misturâ, ne adstrictiva illa vis, diutius quàm par est, in ventre maneat ipsaque aquas moretur. Hic Capito, de Tincturâ, inquit, illâ, an saturatior an levior esse debeat, nunc velim decernas. Ibi alter, quo hoc, inquit, commodius fiat, attendendum quàm maximè est, utrum multis an paucis cucullis impleri desiderent bibaculi, namque inde quoque tincturæ bibendiq; modum pendere facilè quis judicare potest. Certè unius fictilis profundâ tincturâ aut accessione pulveris, qui Japonensium est mos, multorum & levium dilutorum pensari potiones posse, manifestum est; adeo etiam illi, qui pulverem bibunt admistum, haud facilè copiosam sumere Theam possunt, gratiâ oris nimium quantum à pulveris inæqualitate labefactatâ. Quare & Indi & Japones ob formidatam in ventre moram, quod vitium est pulveris, Arac suum aquæ vitæ instar, superbibunt atque ita præ adstrictione tardiores justo aquas propulsant. Ita verò definiendum esse usum existimo, ut, quibus ventriculus multâ & viscosâ pituitâ est oblitus, illi, ut jam tum monui, saturatius bibant, dilutius contrà, qui & bile, nec admodum magnâ humorum copiâ, sunt perfusi; unoquoque tamen Theæ usum suo ipsius sensu & commodo metiente;

te; naturâ enim cujusque suâ explorari hoc demensum debet. Ad quæ Capito, rem, ait, intelligo, neque aliter fieri oportet: Sed quia nonnullis minus gratus accidit hic potus, vidi qui saccaro dilutum temperarent, in quo tamen nescio an sibi consulant bibaculi, saccaratâ dulcedine Theæ commoda evertentes. Ubi Vindicianus, in tam exili, inquit, saccari momento non vertitur Theæ salubritas, neque enim aliter, quàm ad acerbitatem herbæ domandam adhibetur; sed & in illo Calidæ fervore dulcedo nocitura facilè etiam eluitur, perque venas adacta & Renibus & Pulmonibus emolumentum adfert non leve. Nimirum credo esse gentem, quæ saccari magis quàm Theæ adfectet saporem dulcedini dedita, adeo oris potius gratiam temporisque lusum, quam sanandi quærat beneficia. Existimo autem Anglis vel ob hoc ipsum quoq; Theæ dotes debere esse commendatissimas, quòd in cætero vitæ ordine saccari sequantur dulcedinem, & nimiâ ejus conditurâ pleraque fercula corrumpant. Quemadmodum autem à saccaro fermenta omnia, quæ Natura acria esse voluit & volatilia, obtunduntur, venarum obstructionibus aditus paratur visceruṁque tonus infringitur, ita contrariâ ratione à Theæ acrimoniâ excitantur illa venarumque repagula solvuntur. Itaque Tabi isti Anglicæ, ab ingluvie ortæ, si cætera vitæ ratio respondeat, solâ Theâ remedium adferri posse planè persuadeor. Hìc Capito elogiorum impatiens, quousque, inquit, Theæ celebrabis præconium? an ergo domesticorum, quorum pridem suscepisse videbaris patrocinium, adeo es oblitus, ut à Theæ, peregrinæ herbæ, laudibus temperare te non possis. Hanc injuriam paulum indignatus Vindicianus, ecquid ergo ali-

ad agere me putas, quàm ut experientiæ fidem deducam? Erras Capito, si me, quod Medici plerumque omnes facere solent, genio tantùm obsequi existimas; nulla in me partium studia, nulla quæstus aut subtilitatis affectatio; id tantùm dico quod verosimile mihi accidit, cujusq; experientiam testem habeo. Monui alias & puto te id intellexisse, esse inter vernaculas herbas, quæ æquari utcunque viribus istis possint, esse Veronicam, Linguam Cervinam, Marrubium, Hepaticam, Cichorium, Trifolium fibrinum; aliaque, quæ adstrictivâ amaritudine sint imbuta, sed quæ, ut est inter herbas gradualis quædam & numeri ea differentia, & à se & à Theâ intervallo quodam distent. Itaque non dissuadeam exprimenta in his fieri, modo concedas, esse Theæ aliquam prærogativam viresque experientiâ probatas. Arbitror autem, mi Capito, si tam sollicitè tamque rarâ & exili dosi, & vel in pulvere aut decocto Thea adhiberetur, uti adhiberi alia solent, minimè tantas ejus futuras esse laudes. Ad quæ alter, ò inconstantem, clamat, proxenetam, qui jam addere laudibus jam detrahere videris. Nuper omnem gloriam sola abstulerat Thea, nunc rursum, non aliis tantum herbis, sed ipsi etiam aquæ, ut est calida, tribuere aliquid laboras. Cui Vindicianus, sua, inquit, sit laus herbis, sua tamen & paulò, major erit Theæ, sua etiam Calidæ, sua modo utendi, atque hic imprimis, ne ignores, potissimum utilitatem illam determinat. Adeo, si in nonnullis herbis idem fieret experimentum dubitandum non erat, quin felici æmulatione Theæ vires successusque invidendi proximè exprimerentur. Id autem in lentis chronicis scorbuticisque morbis maxime desideratur, ut ad quotidianos & repeti-

tos

tos medicamentorum usus non fatiscamus, quod vitium aliàs est quotidianum. Quid quod, si Calidæ usus, quod olim factum esse novimus, hodieque apud plerosque orbis incolas obtinet, familiarior esset, multis quoque morbis pro naturâ & ingenio gentis succurri solâ illâ posset. At quia in septentrione ob ingluviem & scorbutum popularem, stomachi ut plurimum laborant, aquæ imbecillitas corrigi ibi debuit salutaris herbæ misturâ, quæ si domi nasceretur, uti nasci illam viribus utcunque similem probabile est, plurium sanitati & crumenæ consuleretur. Est tamen habetque hodie Thea aliquas domesticis herbis negatas dotes, individualem illam tum amaritudinem tum adstrictionem; quam adeò imitari tantùm alienarum herbarum cocturâ liceat. Audio Tartaros turbidas fæculentasque aquas injectâ Enulæ campanæ particulâ corrigere; quod si unâ incoqueretur, hoc defæcatiores illas utilioresque forè confido. Imo in Scorbuticis, designatis & specificis herbis, tentari idem posset, modò calidè & dilutè copioseque bibere non recusarent. Hic Capito, tandem ergo, inquit, tibi indulgeo esse aliquam peregrinorum gloriam. Nunc autem id quoque scire desidero, num in tempore modus sit tenendus, & an horæ aliæ aliis ad sorbillandum aptiores. Cui Vindicianus, enimverò, inquit, si rectè conjicio, temporis, ut in aliis medelis, ita in hâc quoque habenda est ratio. Arbitror autem, levia medicamenta, quæque ventriculum maximè respiciunt, vacuo ventriculo sumenda esse, quò melius pituitam conficere, aditumque sibi in venas renesque facere possint. Solent enim alimenta medicamentis, imprimis lenibus, moram imponere, viresque jam per se satis imbe-

be-

becillas in totum infringere. Hic Capito, quæ ergo, inquit, Bibaculorum illa intemperies, ut non horis tantum omnibus, sed vel inter cænam, aut statim post ad satietatem sese potu isto impleant. Ubi alter, istorum, inquit, mores nunquam probavi, qui etsi alias pro libidine, in cænâ tamen quàm maximè, Thermopotare non desinunt, inde autem, nisi robur ventriculi omnia admittat, plurima incommoda nata scio; nam & ciborum coctio, quæ ipsa plurimum juvari debebat, mirâ illâ Theæ morantis adstrictione impediebatur, & ipsa aqua Chyloso recremento immixta Ventriculum gravabat tantùm, aut, si fervor eam propelleret, chyli particulæ, quæ moram aliquam sustinere debebant, justo citius abripiebantur in venas. Ad hæc Capito, non levis mihi, inquit, oboritur scrupulus, cum audiam Theæ adstrictionem Ventriculi munus impedire, quæ tamen nuper consilio tuo, ut sale volatili fæta, plurimum ei auxiliari videbatur. Ibi Vindicianus, id nolim, inquit, novum tibi accidat, quando geminæ sæpe sint & contrariæ unius herbæ virtutes & in quibus sal insitum est, volatile, in iis etiam terrestre quid & adstrictivum sese exserat. Plurima amara, quamvis sale gaudeant volatili, tamen adstrictione quâdam terrestri perfunduntur. De Theæ ergo facultatibus sic sentio, leves & volatiles particulas calidâ comitatas, statim sibi viam in sanguinem parare, reseratis minimorum ostiolis, fixas & terrestres, ita ut stomacho admissæ sunt, à Ventriculi poris fibrisque nerveis, imbibi, quin etiam, cum cibi innatant, eis sese adstrictione suâ infigere, ebullitionemque expansivam, qua ad justam fermentationem est opus, nonnihil compescere, idque eò magis, quò crassior est & sa-

turatior Theæ tinctura, atque adeo tum, cum Ventriculus cibo est repletus, ob adstrictionem minus conducere Theæ misturam. Et certe non temere alia utilitas adstrictivi salis esse potest, quam ut assumtum vacuo ventriculo fibras tonumque consolidet, dum sal volatile calidæ usq; comes, partem pituitæ transeundo vel attenuet aut secum abripiat. Cui Capito, & hunc, inquit, mihi scrupulum exemtum putabo, si alterum adhuc solveris paradoxum, cur nempe, si pleno ventriculo Theæ usus minus est salutaris, asoti, postquam vino ad satietatem & ultra sunt referti, eam tamen, & copiosam, thermopotare non vereantur. Ad quod Vindicianus, alia, inquit, res est cibo repleri, alia vino. Est fluidus plerumque potus nec digestionis moram exspectat, sed statim ad urinæ vias, nisi vitio vel suo aut ventriculi retardetur, prorepit. Sæpe Ventriculi ea est conditio, ut ad acidum vini se constringat & ingesta simul alimenta in diem usque alterum vomitioni reservet; dum interea sulfurei acidique morantis halitus eodem impetu cerebrum invadunt, & rationem, illam nostri dominam, non mediocriter labefactant. Hisce incommodis oportunè Thea succurrit, ut calidâ diluitur; quippe quæ per se sola quoque propulsando phlegmati vinoso & diluendo sufficeret, etsi Theâ animata id efficacius præstet, nec sanguinis tantum arceat coagulum, sed & infirmatum viscerum tonum consolidet. Opinor autem, quæ post asotiam sumitur Theam, dilutam esse debere, non crassam saturamque, ut ne diutius, quàm oportet, phlegma vinosum ciborumque reliquias detineat. Adeo nunc mirum non est, elutis ejectisve particulis vini sulfureis redire sanguini spiritibusque

suum

suum robur, neque ebrietatem tantum aut narcôsin inde conceptam sed & alia profligari incommoda. An verò etiam, quæ aliàs obrepit somnolentia, superari eodem modo possit, illi videant, qui hoc elogio Theam toto orbe prosecuti sunt. Nempe hoc video, mi Capito, si quis vacuo eam à cibis stomacho bibat, calore illo ebullitionem augeri sanguinis & spirituum adeoque somni impendentis segnitiem averti. Si quis autem jam plenus & cænatus eam pitisset, stomacho quidem subinde ex hoc melius esse, verum chyli illo in sanguinem transeuntis visco effectum nonnihil imminui: hoc enim quoque observatu dignum reor, Theæ vim vel post vinosam asotiam aut planè post concoctos cibos deprehendi aliquam, aliàs non facilè. Atque inde est, quod tam diversæ Theam censuræ exerceant, aliis, qui tempestivè potu illo utuntur, laudantibus, aliis, quibus ex libidine & omnibus horis ingluvies placet, traducentibus. Hic intervenit Capito, & si illa, inquit, est Theæ virtus, ut somnos avertat, mihi quidem cum eâ commercium intercedere nolim; nam, cum naturâ sim ad vigilias compositus, somnusque etiam invitum deserat, ineptus sim, si, quem reficiendis viribus somnum natum esse scio, eum remedio amoliar. Adeo ne mireris, si indignatio hoc mihi carminis exemplum excusserit, quod, si placet, audire potes.

Hoc est, insipido sapore linguam,
Hoc est, viscera turbido liquore,
Et vappâ calidâ perambulare.
Non est hoc, rabidam sitim fluento,
Non æstum nive temperare blandâ.
Est hoc, in numerum sitire Plance;

Nam.

Namque est hoc bibere, ut sitire possis;
Est hoc, est bibulas amare noctes,
Et noctes vigilare dormiendas,
Noctes, quas sibi destinat laborum
Jucundus domitor, dator soporis;
Quo nil dulcius est amaniusque;
Qui bellè reficit, quod inquieti
Soles depopulantur, artubusque
Motu diripiunt suo labores.
Sic Thea vivere, sic valere malo;
Quàm fesso placidam rapi quietem,
Quàm noctes vigilare dormiendas,
Noctes, quas sibi vindicant diurnæ
Alternas operæ gravesque curæ.
Non sic vivere vel valere, vita est:
Si somnos adimas, & inter illos
Vitæ dememinisse non licebit
Tristis, Jupiter! & laboriosæ.
Est hoc se miserum videre semper,
Ærumnæque suæ malique testem.
Est hoc luminibus perire vivis,
Est pasci propriis, puto, medullis.
Ergo vive vigil valeque Thea,
Et nataliciam revise terram, &
Si mavis, adi iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quenquam.
At tu, seu cupis ire rusticatum;
Seu tu mænia quæris impotentum;
Seu doctæ pluteos adire turbæ,
Et viles operas gregemque tentas;

Ad nostros propera, alme somne, Lectos,
Nos Te sub Jove frigido calentes,
Nos Te sub lare contuberniοque,
Inflexis humiles prememus ulnis.
Et te strata manent, manent tapetes,
Et quò tædiferi solent amores
Deduci, tua sunt beata regna.
His mecum placidus quiesce tectis,
Et nos Elysiis subinde campis.
Et nos per cava vallium reducta,
Umbris siste piis silentibusq;.
Et sic vivere, sic valere nobis
Sit tecum, nec id antè desinamus,
Quàm nox ultima dormienda nobis
Alternam redimat jugi quietem;
Et me perpetuum valere donet.
Et sic, hercule! si licet fateri,
Nil me lætius est beatiusque.

Vindicianus audito carminis genere, & ne veterem, inquit, impetum apud me refrixisse putes, ecce in Phaleuco quoque meam animi de Theâ sententiam.

Non hæ, somne Pater, meæ querelæ,
Non lites, neque criminatione
Te infamare lubet, lubet vereri,
Et casto thalamum invocare cultu:
Totum nam te oculis meis videre,
Sed clausis, cupio, nihil secundum
Est cui, nilque prius nihilque majus.
Quid quod nil sine te, Sopor, beatum,

Nil constans solidum integrumque durat
Atque uni cui, nam decet fateri,
Vitam quidquid habet, natatque Ponto,
Et vires animosque debet omnes.
Sic ergo Tibi nuncium remittam,
Nec supplex venerer tuum tribunal?
Non sic! somne, meis amate tantùm,
Quantùm ullis oculis amatus unquam:
Devotum tibi ne gravare lumen,
Benigno radiare, Somne, tractu.
Adsis, & subeas cubile nostrum,
Nec me deficias labore fessum.
At saltem modus, oro, sit; mihi nam
Nec dormire lubet, nec ociari
Connivis oculis, ubi terendi
Sunt soles vadibus, viæque passim
Calcandæ pedibus, manuque vivâ
Aut doctus nitido labor cerebro
Exantlandus erit. Vices tuæ sunt
Illæ, o somne! meis amate tantum,
Quantùm ullis oculis amatus unquam.
Sed rebus modus omnibus, datique
Fines, Somne, tibi, diesque noctem
Propulsat, vigilesque semper horæ
Succedunt vacuis & ociosis.
At justò tamen esse plus quietis
Nonnullis video, diem tenebris
Qui mutant malè, quique vix videntes
Aut poti vetitos repente somnos
Arcessunt, solitasque lucis horas

Lethæo saturi sopore perdunt.
Hos Tu vivere, an occidisse vivos,
An vitæ placido frui labore,
Et lucis meliore credis aurâ?
Nequaquam. Ratione nam putatâ
Si tu dicere vera non recusas,
Non hos esse homines, sed esse truncos,
Et consanguineos soporis atri,
Et lethi lacrymabilis sodales,
Debes, quisquis, ô improbe es, fateri:
Namque his pleraque pars negata lucis
Divinæ, tenebrisque tota vita
Destinata fluit; periisse quò sic,
Non vixisse, putes cadaverosos
Et vix semihomines suiq; gnaros.
His ergo, his medicam manum necesse est
Manantesq; adhibere ritè lymphas;
Et fumos cerebri levesque nimbos,
Atque adscititios seri vapores,
Et Ventris teneri gravem saburram
Herbis tollere Pæonisque succis:
Quas inter caput extulit Chinensis
Et multis Thea surgit illecebris,
Jam dudum Thea nota curiosis
Sed nunc usque novo recocta more;
Et raris Thea viribus probata:
At nullo magè certa, quàm quod unum
Et somnum nimium solet domare;
Dum purgat cerebrum fugatq; noctes,
Et que nubila mittit inquietus

Ven-

Venter, quæque gravis ciet Lyæus.
Salve ô ergo meis amata tantùm,
Quantum ullis aliis amata labris:
Tu nutu Thea, ferto opem labanti,
Cum Bacchi nimium dolosa virtus
Deprendit miserum, caputque multis
Infirmat dubium rotatque larvis.
Aut quando nimium vorax lubido
Bacchatur mediâ furens in alvo,
Conceptique cibi tumultuantur,
Et flatu sonituque se rebelles
Ostendunt Domino, tuum est domare.
Hos æstusque volubilesque fumos.
Salve Thea meis recepta tectis,
Nec muta dominum, diuque vive,
Sed nec sæpe tuos sitire succos,
Nec Te, quod faciunt meribibaces,
Totos, Thea, dies frui juvabit;
Sed castè modicèque, nec nisi alvi
Aut urgente gulæ dolore summo
Vel, cum me vigiles habere curas
Fas est, & Clariis vacare Musis.
Hac solum mihi tu necessitate,
Ne desis, rogo, Te carere namq;,
Absque hoc sit, facilè & valere possum.

Ultus jam satis pari invidiâ Capitonem videbatur, cum, si serio, inquit, res agitur, id unum adhuc veritate compulsus dicere habeam, non esse quidem in hoc terrarum angulo vires Theæ tam manifestas, quam apud Chinenses, qui in universum moderatius vivunt atque adstrictius,

qui etiam recentiore fruuntur herbâ & majore curâ bibunt, quàm hodie noſtri, qui vix penſi habent quando & quomodo bibant, dum bibant. Id quod illo experimento conſtare puto, quod corpora nonnulla cauſaria, imprimis iſta, quæ potionibus Theæ nondum aſſueta, aut non ſatis purgata, diverſâ ſæpe ratione ad ſomnos deducantur, vaporibus à phlegmate acido in caput elatis. Quod ne tibi novum appareat, ecce Tabaci, Narcoticæ aliàs & ſomniferæ herbæ, uſum, quem ille in aſſuetis effectum habeat. Non ad ſomnos ille ducit, ſed ad vigilias; & cum aliàs narcotica ſpirituum miſſiones vividasque expanſiones coërceant, victo illo per conſuetudinem ſulfure craſſo, quod reliquum eſt ſalis volatilis & acris, incendit magis fermentatque ſpiritus, &, quod prodigio proximum eſt, purificat, adeo, ut in multam noctem congerrones aut qui Palladi litant, ſufficere usque poſſint. Rem, inquit Capito, narras portentoſam, ſed tamen notam, quippe qui & ipſe ſciam viros clariſſimos, cæterà frigidos, tabaci fumo excitari ad ingenii aciem explicandam Poëtarumque imprimis impetus mirificè augeri; adeo & te jam Tabaco ebrium credidi, qui in tam multos nec inficetos hendecaſyllabos effuſus naturalem influxum ſuperaſti. Hic Vindicianus, ultionis, inquit, acrioris eſſe quoque ingenium illius diſce exemplo, cui indignatio verſum fecerat; verum, ut ne propoſitum deſeram, velim ſcias notos mihi eſſe Viros quosdam, qui inter pædorem Tabaci ſalivantesque palati rivos defæcatiſſima reliquerint monumenta: cujus rei cauſam eſſe puto, quòd, cum auctis in vitâ illâ ſedentariâ humoribus cerebrum quoque ſero irrigatum ſpirituum expanſiones agilesque motus inhibeat,

ad

ad Tabaci fumantis ficcitatem ſerum non tantum evaporet, ſed & ipſi ſpiritus acrimoniâ ſalis Tabacini novo elatere expanſioneque ad obeunda munera ſua diſponantur. Ubi ergo, inquit Capito, narcôſis illa, uti Hyoſcyamo omni, ſic Tabaco, propria. Nempe hoc erat, inquit alter, cui reſponſum debebam: Eſt nimirum duplex in Tabaco ſulfur, craſſum & volatile ſalinum; illi natura lentè aſſueſcit, uti Opio, quò ſit ferendo. Quid quod Tabacibibuli craſſum fumum ferè omnem ore rejiciant, tenue tantum & volatile quid retinentes, quod ipſum ſe lentè in Cerebri, humorum ſpirituumque immiſceat conſortium, ingeniique acuat functiones. Sacerdotes Virginiani, ubi religionem ſimulant & colloquia cum Diis, fumo Tabaci, credo, in ventrem caputque admiſſo, extra ſe rapiuntur, cum ad ſe redierint, reſponſa dant rogantibus & de valitudine, de futuris deque aliis impudenter decernunt. Noſtri autem, quamvis peregrini, in re Barbarâ atque externa tam acutè ſapiunt; & tam tenero providoque ore fumi volitantis uſum temperant, ut modicè utentibus ad plurima utilis ſit; Famem pro corporis naturâ aliis leniat, aliis acuat, membra reddat agilia, cerebrum purget, vividoque inflet motu. Hic Capito, mirandum tamen eſt, inquit, in re tam fædâ olidâque, quin etiam ſapore planè impudico reperiſſe aſotos, quod gulam blandiretur, tandem etiam in corporis animique tranſiret medelam. Ubi Vindicianus, hoc te, inquit, movere non debet, pleriſque enim externis opinio & varietatis ſtudium gratiam adſcivit; ita in Opio, Aloë, Myrrhâ, Areca, Betele, Piperatis calcariiſque oris condimentis, quibus Turcæ, Arabes atque Indi quotidie utuntur, nihil ſanè eſt,

quod

quod palatum deliniat, & non potius opinione aliquâ, quàm naturali gratiâ se commendet. Quo exemplo velim discas etiam potibus plerisque, quamvis non perinde gratis, ingenio gulæ gratiam conciliari. Ipsa illa Germanorum Cerevisia, quot non illa locis, pessimo & colore & sapore prædita? Et tamen tot reperit amasios, ut non antè desinant, quàm usu rationis exciderint. Equidem, si cum Biris illis, quæ Lupulo, Myrto Brabanticâ, ustulato Malto aliisque inficiuntur, Theæ potus conferatur, utique palmam ei deberi etiam bibuli potores agnoscent. Hic Capito ad Theam reversus, quid ergo, inquit, & quot sunt illæ Theæ virtutes, quarum nec dum finem factum esse video? Cui alter, sunt certè, inquit, plurimæ, quamvis non totidem, quot importuni Encomiastæ voluerunt. Ipse autem judicio velim discernas, quid Calida, spiculis salis volatilis animata, in Septentrione, & in morbis Chronicis, possit. An non utique lento illo diluvio atteri acrimoniam, ubique noxiam necesse est? quod quantum sit beneficium, facilè intelligent, qui omnem morborum molem à salibus proficisci chemicorum experimentis didicerunt. Accedit, quod, cum aliorum remediorum, quæ officinas aut medicam manum olent, tandem aliquando fastidium subrepat, adeo incepta plerumque cura ob ingratiam medicaminum destituatur, sola hæc medela, ubi semel placere cæpit, tam parum fastidiatur, ut etiam temperanda libido sit, ne inconsiderata copia usum evertat. Hic Capito, laudatas, inquit, remedii vires, ad quas nec ipse naturâ morosior fatiscam; & cum Scorbutus, communis ille Patriæ nostræ hostis, cum ventriculi vitium jam inde à multis annis malè me

ha-

habeat etiam ad Theæ potum, si tuis auspiciis licet, convaliturum me confido. Hic Vindicianus, age ergo, inquit, & experire quid potus ille possit, qui mucum omnem & situm ventriculo venisque inductum lenè deterget & detersum oportunè eluit; qui omnis generis salia eodem diluvio temperat, dulcedinemque illam, aut, si mavis, ἠπιότητα sanguinis reducit. Quare cum pleraque medicamina nonnihil alant acrimoniæ eamque humoribus impertiant, hac una suavitate se probat. At nunc, inquit, Capito, velim commonstres, num aliis etiam morbis adhiberi utiliter potus ille possit. Imo, inquit alter, sunt morbi diuturni, qui à pituitâ, à bile lentâ & fermento quodam habituali ortum habent, uti sunt Calculus & Podagra. Ubi Capito, id verò, inquit, penè inauditum, etiam Theæ ad desperatos morbos usum esse aliquem. Cui Vindicianus, id verò, inquit, nolim te torqueat, cum sæpe vilissima quæque & protrita maximâ valeant virtute. Quid quod non immeritò in Medicinâ quoque Pindaricum aquæ elogium magni æstimandum, & una illa remediorum omnium velut quædam anima censeri possit. In Calculo sanè Calidæ usus quid non promittit, cum naturâ viam ad Renes adfectet, & latebras illas angulosque cribrorum diluvio suo emungat. Nempe cum Calculus peregrino eique salino fermento, ut causæ, Tartaro, ut materiæ debeatur, est hic, quod salem mitiget, est hic, quòd Tartarum lentumque viscum calore suo continuoque diluvio deturbet, & elimatis viis concrescendi detrahat causas. Adeo etiam solius Calidæ quotidie usurpatæ beneficio purgari Renes posse mihi quidem persuadeo; at si Thea adjiciatur, hòc efficaciores fore vires, quò ipsa sale

plenior volatili & ad corroborandum viſcerum tonum magis idonea. Hic Capito, ſpecioſa, inquit, oratio, jamque nimium trita; ſed cujus pudere debebat, quod toties revocatæ nondum finem imponas. Novum rurſus audio Calidæ præconium, & in Calculo; ubi eodem jure vappam quandam commendare potuiſſes. Ad quæ Vindicianus paulò commotior, nec hoc, inquit, volo, ut aquæ nudæ, ſed, ut calet, & ut ſæpiusculè & magnis hauſtibus ingurgitatur, vires iſtæ imputentur. Eſt, fateor aliorum remediorum proprium, ut, cum valida ſint, unâ vice viſcera corpusque excutiant, ſed aquæ hoc quoque habent, ut, quò lentius ſecuriusque præſtant auxilium, hòc profundius ſe viſcerum venarumque inſinuent poris fermentorumque facilè rurſum emergentium vires cum tempore enervent. Quemadmodum autem nemo dubitat, quin Calidæ vires in propulſando calculo futuræ ſint majores, ſi glycyrrhizæ paulum, ſi Apium, ſi Veronica, quæ ipſa hìc ſpecifica eſt, ut quæ maximè, incoquatur, ita Theæ acceſſione, quod fermentum ipſum quoque reſpiciat & tono reducendo ſit idonea, multo etiam luculentiores fore iſtos vires probabile eſt. Ubique tamen hoc notandum, ut Natura ad excretionem ſit prona, quam ut promoveas, ſumenda ſemper eſt maximè calida; illa enim tarditatem Excretricis mirum quantum expugnat. Hic Capito, tam commodè, inquit, dicis, ut me fere in ſententiam tuam perducas. At ſi Podagræ quoque & Calculo, ut connatis morbis, applicari Theam poſſe cum ratione ſuſtines, utique erit, cur Natio illa, hactenus deſerta, Gallum Tibi debeat & Theæ Aram. Et in illo quidem, ait Vindicianus, aqua nobis hæſit hærebitque.

que ſemper; neque enim remedia dari ulla, aut ea rariſſima, puto, quæ morbos inſitos penitus evellant, & ita, ut nunquam revertantur: Credo autem optimorum quoque uſu attritos cauſarios tandem Naturæ ad ſe redeundi occaſionem præbere. Sed tamen oſtendere poſſe videor, ſi ullo remedii genere, certè hoc ipſo ad coërcendos hereditarii mali impetus multum effici: cum enim vis mali naturalis in hoc vertatur, ut ſemper in potentiâ abditum lateat ſuo tempore erupturum, potentia autem illa in certâ viſcerum ſuccorumque diſpoſitione conſiſtat, non facilè alio id genus fermenti opprimi poſſe exiſtimo, quam lento quodam, Naturæ affini & quotidiano remedii genere, uti ſunt Potus illi. Hâc ergo viâ etſi morbi hereditarii ſemina tolli in totum nequeant, multum tamen imminui atq; infringi certum eſt. Cum Calculi veſicarii fermento conjunctus plerumque eſt tardus ſuccorum motus, at cum Renum illo, ſiccitas ſanguinis & anguſtia cribrorum renalium; utriſque mutandis ſufficit Calida, magis tamen, ſi Theâ, Veronica, glycyrrhizâ aliisve animetur, nam, præterquam quòd vitioſam ſanguinis texturam immutat, etiam ſalia illa, quæ fermentis præſunt & unde maxima corruptionis materia, eluunt, ſæpiusque agitando maſſam dulcem inducunt atque naturalem ſanguinis temperiem. Divinam ergo Theam, exclamat Capito, & quæ meritò ſuperbum iſtud elogium referat, quod Aëtius aliique græculi, neſcio cui ſpecifico contra Calculum, tribuere, Θεȣ χεῖρα appellantes. Cui alter, & verò, inquit, meliore jure hoc Theæ noſtræ potuique Calidæ conveniat, quam putidæ iſti & defloratæ ex ſanguine hircino Antidoto. In hoc, ait Capito, facilè me habeas conſentien-

tem, dummodo aquæ etiam, ut calet atque volatilis eſt, nam in hoc quoque differentia quærenda, ſuas laudes non detrahas. Ubi Vindicianus, nec dum, inquit, muto ſententiam, & Calidæ vires, ſi alibi, certè in Calculo agnoſco maximas. Nihil enim eſt Thea, ſine ſucco & ſanguine, ſi aqua eam deſtituat, ſi aliquando tantum, nec ſæpe, hoc eſt, quotidie, certo tempore & quantitate, bibatur: Quod cum in aquarum Thermalium uſu exactè noſtri obſervent, in Theâ præteriri non debuit. Hic Capito, nimiam, ait, monſtras ſollicitudinem, qui certo vivendi ordini adſtringi Thermopotantes velis. Cui alter, at verò, inquit, tolerabiles ſunt hæ leges & ex parte voluptariæ, cum etiam ſine neceſſitate totos ſeſe eis dedere aſôtos videamus; adeo multum eſt, diuturnitate & copiâ non offendere, quod vitium alias eſt medelarum proprium; majus verò etiam beneficium, ad Theæ rivos calentes ſpe ſaltem domandi calculi, tanti tortoris, excitari. Hic Capito, cedat, inquit, perpetuo & quotidiano Theæ diluvio calculi fermentum, & ſit hæc cauſa, cur morbi iſtius vix etiam nomen apud ſeres ſit cognitum, attamen Podagram quoque hoc remedio debellari poſſe ægrè perſuadeas. Cui Vindicianus, in hoc tamen, inquit, morbo vires ejus deprehenſæ ſunt non leves, id quod jam antè attigiſſe me puto. Nimirum, cum hic quoque chemicorum confeſſione Tartarus quidam regnet aut ſalina aciditas, quæ ſanguinis texturâ evolutâ peculiari determinatione ad articulos tendineſque prorepat, mirificique ſenſus nerveas fibrillas ſpiculis rigidioribus fermentationeq; igneâ tantum non dilaniet, remedio opus fuit, quod ſanguinis potiſſimum texturam fermentique latentis virus

ſentis

lentis iteratisq; potionibus everteret; quod cum in solo lacte & Theâ repertum esse constet, in aliis tamen etiam reperiri possit, ambigendū non est, quin laborantium querelis ocurri faciliùs securiusque, quàm pridem, possit. Quid autem aliud continuatus ille vel lactis, vel Theæ, aut jusculorum pingium insulsorum, tum maximè carnis vitulinæ, usus promittit, quàm dulce quoddam & naturale sanguinis fermentum & detritis post tot alluviones acidi spiculis balsamicam nervis temperiem. Verùm, ut lactis usus jam olim fuerit famosus & nuper Monachi elogio commendatissimus, attamen potus Theæ majorem fore utilitatem credibile est, tum quod stomacho firmando magis sit idonea, tum quòd ad urinarias vias salium, plerumque receptacula, facilius descendat, Accedit Theam minime acescere, cujus vitii suspicione lactis plerique usum damnaverant. Ubi Capito, incomparabilem, inquit, potum & auro contra carum, qui ad ægrorum divitumque salutem unicè sit cômparatus. Conabatur hic alter versu exprimere mirificas hasce dotes, verum à Capitone, cui jam satis temporis impensum remedio videbatur, repressus, quin ergo, inquit, ad finem spectet colloquium, ut ad domum quisque suam reversis experiri in futurum tam salutaris potus naturam liceat. Audierat hoc Vindicianus, & Epilogi, inquit, loco necessariam monitionem adjicere debui, non ubique terrarum, nisi ubi aquarum bonitas naturalis est aut coctione emendata, non promiscuè omnibus, non imparatis corporibus, non asotis, qui tamen vulgò ei sunt dediti, non iis, quorum ventriculus naturâ aquas recusat aut inde offenditur, non etiam, quibus certas ob causas excretio vel tarda est aut

 nul-

nulla, imperandum esse hunc potum; supervacuum verò videri vel ad sicciorem hìc corporis habitum aut humidiorem crassioremque respicere: certè enim in sicciore cachexiâ, ubi plerumque etiam salsedo dominatur, perinde atque in crasso pinguique aut humido aqualiculo, ubi aqua aquam ducit, conducere posse verosimile est; hoc tamen discrimine, ut quæ hic lautior est crassiorque tinctura, ibi tenuior sit dilutiorque, potissimaque vis calidæ diluvio debeatur. Et verò unde Acidularum & Thermalium sæpe aquarum tam infelix exitus, nisi quòd communi famâ exciti omnes velut panacæam adorent, quæ etsi plurimis, non tamem promiscuè cunctis, servire potest: quid quod & medici lucrum aucupantes non facilè quenquam ab usu illarum repellant. Hic animos resumens Capito, ergo Thermarum, inquit, & Acidularum elogia, potui illi æquiparare non erubescis. Cui Vindicianus, quin imo est, inquit, cur in aliquibus Theam illis præponam; nam cum hanc quotidie & domi inter negotia bibere liceat, cum ipsa etiam calore suo nostrum calorem corroboret, cum sale quoque volatili peregrinam aciditatem, quam consueti potus suppeditant, expugnet, cum ventriculo imprimis prosit capitique minimè officiat, equidem usum ejus vel propter Calidæ misturam hìc in septentrione potiorem esse debere manifestè evincere posse videor. Ut autem compendio agnoscas, quæ quantæque sint Theæ nostræ virtutes, quæ fata, ecce Aram non vanis inscriptam elogiis. Hic autem Capito admotis oculis curiosis recitantis vocem pressius sequebatur & totam, ut illita erat crassis pinguioribusque literis, perlegebat. Solliciti cæteri, qui aderant, quid

mon-

monſtri aleret nova & pridem nata inſcriptio, urgêbant Capitonem elatâ voce deduceret, quæ hactenus muſſitaverat, verba. Ubi ille paratus ſic infit.

DIVÆ. THEÆ. SACRUM.

Viator.
Huc. Te.
Huc. Ora. Converte.
Et.
THE. Saluta.
Tam. Amabilem. Herbam.
Quam. Es. Ipſe. Tibi.
Qui. Te. Amas.
Ex. THE. Cognoſces.
Et. Disces.
Non. Eſſe. Te. Quod. Putabas.
Sanum.
Omnibusque. Beatum. Numeris.
Sine. Quo. Nihil. Eſt. Beatum.

*

Ignotum. Terræ. Beneficium.
Jacuit. Diu.
Barbaris. Tantum. Ultimisque.
Gentibus.
Et. Ipſis. Antichtonibus.
Notum.
Nunc. Ne. Et. Te. prætereat.
Eſſe. In. Peregrino. Orbe.
Quod. Et. Gulam. Curet.

Et

Et. Te. Invalidum.
Sanitati. Redonet.
Lusus. Inter. Jocosque.
Libidinantium.
Non. Logos. Esse. Velim. Scire.
Te.
Sed. Elogium.
Quod. Aræ. Huic. Inscriptum.
Vides.

**

THEA.
Est.
De. Cœlo. Missa.
Terræ. Progenies.
Divini. Nominis. Æmula.
Herba.
Quod. Ea. Præstet. Mortalibus.
Et. Plura.
Quam. Vel. Bacchi. aut. Cereris.
Latex.
Si. Qua. Enim. Medicata. Est.
Et.
Salutaris. Potio.
Hæc. Ipsa. Est.
Felici. Nestes Vulcanique Connubio.
THEA.
Nullâ. Sua. Culpa. Mala.
Nulla. Nocens.
Nisi Quam. Asôti.

Et
Commiſſatores
Olli Imputant
Sibi Debent.
***
Sale. Feta. Eſt. Volatili.
Et.
Molliter. Spiculato.
Adeo. Et.
Langueſcentis. Stomachi.
Revocat. Tenorem.
Et. Dum. Lymphæ. Calenti.
Solvit. Vecturam.
In. Venas. Didita.
Fermentorum. Actionumque Nutantium
Firmat. Robur.
Et. Sic.
Vitam. Sanguini.
Vitam. Reddit. Spiritibus.
Unicis Noſtri. Cuſtodibus.
Quibus. Salvis.
Et. Corporis.
Et. Animi.
Salva. Eſt Temperies.
****
At. cum. Potisſima. Vitæ Pars. Sit.
Vigilare.
Non. Noctes. Suburranas.
Non Pervigilium. Veneris.
Sed. Palladis.

Hoc. Eſt.
Ingenio. Frui.
Dotibusque. A. Naturâ. Conceſſis.
Quid. Non. Cordati.
Acceptum. Refertis.
Divæ. THEÆ.
Quæ.
Animam. Semper. Sobriam.
Suique. Servat. Capacem.
Quæ. Triſtes. Erebi. Tenebras.
Mortisque. Imaginem.
Somnum.
Pellit.
Quæ. Hominem. Sui. Neſcium.
Eſſe. Non. Sinit.
Et. Adeo. Sola. Hoc Efficit.
Ut.
Homo. Sit. Homo.
Fortunæque. Suæ.
Etiam. Inter. Pocula.
Memor.
*****
Pudeat. Lyæum. Patrem.
Inventi. Laticis.
Et.
Revocet. Nutricium. Nectar.
Ceres.
Nam. Et. Gulam. Fallunt.
Et. Capiti. Imponunt.

Et.
Dum. Rationem.
Illam. Morum. Magiſtram.
Illam. Boni. &. Honeſti. Parentem.
Evertunt.
Multis. Et. Infamibus. Noxis.
Aperiunt. Viam.
Quô. Conſtet.
Aliud eſſe Animæ. Imperium.
Aliud. Vinoſi. Potus.

******

Hic. Namque.
Cum. Optime. Agit.
Et. quod. Poteſt.
In. Nervum. Deſpumat.
In. Illam. Partem.
Quam. Jupiter. Saturno. Patri.
Demeſſuiſſe. Falce. Dicitur.
Et.
Sanctus. Numa.
Mentulam.
Vocabat.
Nepotum. Delicias.

****

THEA. Autem.
Blandula. Olim. Herba.
Nunc. Diva.
Ut. Cœlo. Adfinior.
Ad. Summa. Adfectat. Viam.

Et. Caput.
Illud. Animæ. Domicilium.
Cogitationumque.
In. Quibus. Vita. Sapientis.
Seminarium.
Mirificè. Illuſtrat.
Vexat. Ibi. Provocatque.
Sepultas. Pridem. Ideas.
Suisque. Exornat. Pigmentis.
Et. Si. Quid. Molitur. Feſcennini.
Molitur. Autem. Sæpe.
In. Pudenda. Involat.
Non. Ventris.
Sed. Cerebri.
Et.
Quod. Pace. Veneris. Liceat. Dixiſſe.
In. Priapum.
Non. Poëtarum. Illum.
Anſere. Conciliandum.
Sed. Anatomicorum.
Quem. Teſtibus. Armatum. Suis.
Sed. Pudicis.
Joculari. Ratione.
Glandulam. Vocant. Pinealem.
Illam. Tot. Litigiorum. Nutriculam.
Omniumque. Speculationum.
Promam-Condam.
****
Hanc.

Si.

Si. Vera. Narrant.
Philoſophi. Non. Degeneres.
Regit. THEA. Redditque.
Non. Chordâ. Citharâque. Tenſiorem.
Quod. In. Helleſpontiaco.
Quærere. Priapo.
Lesbia. Solebat.
Sed. Spiritibus. Turgidam. Pudicis.
Et.
Cogitationibus. Beatam. multis.
Hanc.
In Quoscunque. Libet. Receſſus.
Et. Cerebri. Signatas. Vias.
In.
Volatilis. Fluidi.
Spirituum. Officinam.
Ventriculos.
Primum. Secundum. Tertium.
Et Quartum.
Inclinat. Velut. Docta.
Totumque. Animæ Moderatur.
Opus.

****

Huc Ergo.
Huc. Ora. Convertite.
Qui.
Noctes. Amatis. Lucubrandas.
Sapientiæ. Studioſi.

****

Huc.
Potores. Bibuli.
Qui. Nihil. Pensi. habetis.
Quid. Bibatis.
Dum. Bibatis.
En. Aquam.
Si Viri. Estis.
Sed. Salutarem.
Sed. Medicatam.
Adeo. nec. male. Emtam.
Hanc. Potare. Semper.
Hanc. Sitire. Semper.
Si. Lubet.
Potestis.

*

Huc.
Delicatulæ. &. Morosæ. Gulæ.
Totum. Hoc. Ingenio.
Quod. Sapit.
Debetis.
Quod. Salutare.
Naturæ. Matri.

**

Huc.
Adeste.
Turba. Causaria.
Et Ventriculum.

Hi-

Hirasque Omnes.
Viſceraque. Venulasque.
Quâ. Patent.
Omnes.
Hoc. Eluite. THEÆ. Liquorè.
Fumanti. Calidoque.
Sequetur. Scio. Facilis. Pituitâ.
Et Aſpera. Frænum. Admittet. Bilis.
Et Partibus. Solidis.
Collapſus. Pridem. Redibit. Tonus.

***

Sed. Ut. Nihil. Perpetuò. eſt.
Bonum.
Et. Uſu. Tam. Commendabile.
Quod. Abuſus. Non. Corrumpat.
Video. Jam. Parcaps.
Mellitula. Men.
Qui. Repudium. Tibi. Mittant.
Valere. Dicant. Et. Vivere.
Ineptos. Quosdam. Nepotulos.
Qui. Amore. Pridem. Tui. Tabeſcere.
Sine. THE. nec. Momentum.
Horæ. Vivere.
Qui. THE. Matutini.
Qui Nocturni.
Non. Valitudinis.
Sed. Ocii. fallendi. Cauſâ.
Non. Congiis. aut. Amphoris.
Sed. Totis. Pene. doliis.

Ther-

Thermopotare
Gloriam. Ducebant.
Non. Satiati. Unquam.
Nec. Laſſati:
Sed. Usque. In. Orbem. Sobrii.
Quaſi. Bibendi. Meta. Non.
Eſſet.
Niſi. quam. Ebrietas. aut.
Nauſea. Deſignat.

****

Video. Et. Alios.
Diva. Mea.
Non. Minus. Tibi Infeſtos:
Caperatæ. Frontis. Homines.
Qui. Vitæ. Ordinem. Vel. Ob. Hoc.
Ipſum. M[illegible]are. Nefas. putant.
Quod. Bacchi. Conſuetudine.
Et. Veneris. Contubernio.
Totos. Se. Jam. Inde. à Teneris.
Occupaverint.
Et. Trium. Literarum. Tyrannus.
MOS.
Inoleverit.
Quaſi. Bonitatem. Rerum.
Illo. Teſte.
Approbare. Neceſſum. Eſſet.
Quo. Plurima. Alia.
Longe. Etiam. Peſſima.
Hodieque Obtinent.

*****

At. Solare. Te.
THEA. MEA.
Paucorum. Suffragiis.
Nosti. Enim.
Argumentum. Pessimi.
Turbam. Esse.
Et.
Ut. Te. Calumnientur Mali.
Et. In. Nigrum. atque. ominale.
THE.
Vertere non Erubescant.
Erit. Tibi. Tamen. apud. Bonos.
Præsidium.
Ut. Te. Vulgus. Traducat.
Erunt. Tamen. Ex. Sapientibus.
qui. THE. vindicent.
Castam. Sobriamque. Herbam.
Et. Illos. Tui. Osores.
Vel. ad. Græcum. Π.
Aut.
Si Mitior. Placet. Sententia.
In. Morboniam.
Ire. Jubeant.

******

Veniant. Ergo.
Et.
Dicant. Diem.
Tu.

Thea. Mea.
Si. Judicem. Nacta. fueris.
Non. Auri. Non. Bacchi.
Sed. Veri. &. Boni.
Hoc. Eſt. Tui.
Et.
THE.
Sitientem.
Sola. Illius. Advocatione. Tuta.
Stabis.
Vinces.
Triumphabis.
Nec Temere. Illa. Tui. Apotheoſis.
Fiet.
Apocolocynthoſis.
Et. Hoc. Crede. Vatem. Dixiſſe.
Tu. Interim.
Quod. facis.
Have. Viator.
Et.
THE.
Ama.

Finierat inſcriptionem Capito, cum uno alteroque elogio offenſus; ergo, inquit, Vindiciane, Te enim uti in cæteris, ita hic etiam auctorem agnoſco, funus vaticinari audes potui nuper demum in has terras evocato? An ergo remedio ſemel deſerto totque annorum inducias patienti, nunc iterum medicorum elogiis famigeratisſimo, denuo occaſum minabitur hominum levitas? Cui Vindicianus, imo verò, inquit, uti omnium rerum, ita & medicami-

num

num quædam sunt vices; nam & illa, quæ pridem magnis & invidendis elogiis inclaruerant, tandem quoque occidunt subinde revictura. Forte natura, ut aliorum proventui faciat locum, nova semper iterumque nova ostendit suamque hâc varietate indicat uberrimam progeniem. Ego autem, inquit Capito, magis in hominum incuriam novitatisque studium, quàm in Naturæ bonitatem culpam rejiciam. Ibi Vindicianus, est, inquit, hoc aliquid; verum, si rectè calculum ponimus, temporum victusque non minor habenda est ratio, ut quæ morborum popularium ingenium sic sæpe mutant, ut post aliquot annorum constantiam aliis opus sit magisque pro illa vitæ conditione idoneis remediis. In medicamentorum verò censu hoc video, odio sæpè partium & novitatis, sæpe imperitiâ, sæpè fatali præjudicio factum esse à medicis, ut idem medicamentum modò in honore esset, modo diris devotum jaceret. Hic Capito, cum, inquit, grata quædam, quamvis non ex æquo argumenti hujus propria, promulsidis loco mihi obtuleris, age Vindiciane, & sermonem hunc, quem hactenus instituisse non pœnitet, problemate hoc, absolve; *Cur nempe aliquot medicamentorum tam mirabile sit fatum, ut vel modò nata, aut postquam famam diu sustinuerunt, tandem iterum pereant, aut post aliquot annorũ intercalarem moram postliminiò revocentur;* Ubi Vindicianus, quando ita placet, ait, nec injuriam tibi fieri putas, excutiamus primùm, quid nonnullis acciderit probatis jam dudum & plurimorum annorum præscriptione regnantibus medelis. Videamus, quis in Antimonio cognitissimo hodie remedio, fortunæ fuerit lusus. Olim apud seculũ prius, cum rara adhuc essent experimenta, Antimonii usus ad externa

tantum serviit,& ad fucum labantisque pulcritudinis mangonium; adeo & hoc nomine una filiarum Hiobi, si Rabbinis fides, KerenHapuc, id est, cornu stibii, appellata fuit. Longam ita ætatem steterat Antimonium καλλιβλεφάρου elogio notum, donec seculo duodecimo monachi, manum Chemiæ admoventes, inter alia metalla Antimonium quoque exigerent, & præparationem ejus longè saluberrimam experirentur. Erat autem inter illos Frater quidam, Basilius Valentinus, curiosissimis Artis operibus tum imprimis, Antimonii examine, cognitus. Defæcavit ille ita hanc mineram & à sordibus nocentique & incondito sulfure purgavit, ut velut universale quoddam Artis & Naturæ depositum, certo conscripto libro, cui titulus *Currus Antimonii triumphalis*, ad omnes promiscuè corporis adfectus, etiam internos, invidendis planè elogiis efferre non dubitaverit. Ille ferociam antimoniati Sulfuris compescere primus docuit, ille etiam subtilem centralemque spiritum tam commodè temperavit, ut etiam lapidis Philosophici Arcanum exinde eruere conatus fuerit. Et verò, si rectè operam adhibeamus, in infinitum se vis illa spargit, & omnium medicamentorum numeros ferè sola explet. Lapsi tamen fere sunt trecenti anni, cum nec post tot elogia usumque in Cænobiis frequentem ejus ratio à Medicis, tum temporis vel cum ignorantiâ aut inficetis Arabum dictatis conflictantibus, haberetur. Ineunte demum seculo præterito, ex monachorum scriptis, Isaaco Hollando, Basilio Valentino, Rogerio, Raimundo Lullio aliique Paracelsus plurimum profecit, Antimoniumq; tot jam secula collapsum vindicavit. Ex illo & Angelus Sala & Agricola, quique Chemicorum nomen professi

sunt,

ſunt, Antimonium magis magisque in lucem extulere, conditur is ejus pro valitudinis ratione pulchrè variatis. Maximæ tamen invidiæ & tum & nuper admodum fuit obnoxium, imprimis, poſtquam levi & exili præparatione eſſent contenti; quæ ipſa, mirum dictu, quantum calumniam auxerit. Hinc Emetica ex Stibio vel ſolo nomine horrenda & effectu triſtia, magis imprudentiâ applicantium, quàm naturâ ſuâ. Illæ enim de Pulvere diabolico, de Tartaro Emetico Mynſichti, &, qui eo correctior eſt, Ludovici, de Mercurio vitæ & Aqua benedictâ, ſi antiphraſi credendum, ſparſæ querelæ, totam hanc ſcenam infamarunt, Antimoniique etiam rectas temperatasque conditur as in criminis ſuſpicionem adduxerunt. Certè, tot ob uſurpantium inſcitiam ſuſtinuit viciſſitudines, ut mirer alibi perrumpere potuiſſe. Hic Capito, niſi, inquit, vitio aliquo laboraret, nequaquam publica illud cenſura damnaſſet. Cui Vindicianus, non unæ, ait, ſunt cauſæ, quæ iniquius judicium provocarint, præcipua autem, invidia & obtrectatio Galenicorum, ut ſe vocant, qui Vatiniano ſemper odio chemica quæque proſecuti ſunt, tum maximè antimonium, quippe in quo Chemicorum imprimis artes ſe exercuerant. Hi quod viderent periclitari ſectam ſuam, ſi Chemici emergerent, certis conceptisque legum tabulis ſe obſtrinxere, ne quem unquam Chemiæ titulo in Praxin & famam, multò minus in Facultatem, ingredi paterentur. Ad quæ Capito, ineptè, inquit, & planè contra eruditiorum, ſemper nova adfectantium, ingenium. Adeo miror Facultatem Pariſienſem, illam olim toto orbe primam, illud Venetorum Collegium, interdictis hodieque cavere, ne quis aliam,

quàm veterem illam calcatamque Galeni methodum, insistat, omnem enim, quæ ab eâ discedat, hoc solo titulo periculosam esse, quod nova sit. At hic Vindicianus, fuit, inquit, illa olim gentium persuasio vetera tantum, quod ætate se tueantur, certa esse & probata, nova quæque, ut nullis experimentis firma, suspecta & detestanda. Quod ut in religione, quæ immutabili Dei præscripto nititur, verum est, ita in illis rerum humanarum corporaliumque mutationibus falsum est atque ineptum. Fateor autem, & ipse vidi, regnare illam in Italiâ, tum maximè Venetiis, pestem, ut non alia remedia accipiant comprobentq; quã quæ olim placuere, omnia alia vel probatissima adspernati. Quo ipso factum est ut nonnulli, Empirici, etiã contra Facultatis aut Collegii Medici auspicia emergerent, & ipse Tacchenius Chemiæ illis invisæ ductu famam opesque acquireret planè invidendas. Fateor, accidit persæpe, ut, qui primi experimenta capiunt aut morborum ægrorumque naturas haud bene discernunt, in valitudinem impingant, atque adeo remedii non satis probati vires infament: verum uti hoc in Galenicis quoque evenire potest, sæpe minus ad Praxin morborumque ideas compositis, ita vitium hoc solis Chemicis inconsideratè imputes. Neque etiam Empirici Chemica non bene tractantis culpam vel in remedium aut in Medicos omnes, imprimis exercitatos, rejicere oportet, cum eum in modum nec Galenici immunes sint futuri, quando æque tristes casus & Scammonium & Elleborus, ipsorum deliciæ ultimaque manus excitaverint. Ad hæc Capito, audio ergo, inquit, Galenicorum parem esse fortunam ac Chemicorum, & perinde omnia certis periodis obnoxia. Sed nunc in Antimonio,

nio, quod ostendere cæperas, quæso perage. Cui Vindicianus, si temporum, inquit, rationem subducis, non semper, etiam post Paracelsi tempora, in eodem pretio habitum Antimonium; nam quando Empirici illo non satis correcto promiscuè uti cœperunt, Galenici obtrectatores statim cum abusu usum quoque sustulere. Adeo præterito seculo Baccianellus Italus, cum tot Empiricos grassari per Antimoniata videret, suâ linguâ librum de Antimonii abusu conscripsit. In Galliis autem robur jam tum per experimenta sumserat statim post Paracelsum, sed Galenici vix patientes rerum novarum paulò post jamjam victuri antimonii triumphum libellis confundere ausi sunt; quo ipso animata suprema Curia Parisiensis præteriti seculi anno cIↃ IↃ LXVI publico decreto Antimonii usum in totum prohibuit. Vix tamen, quibus comperta erat mirifica Antimonii vis, abstinere ab usu ejus potuerunt; adeo etiam seculi hujus Anno IX, nam huc usque decreti steterat auctoritas, Besnerius quidam, quòd contra supremæ Curiæ decretum, quamvis feliciter, Antimonio usus esset, Facultate fuit ejectus. Ex illo autem multæ habitæ in Academiis consultationes, & prodiere Percaldi cujusdam & Renati Moræi, maximi aliàs Viri, in Antimonium Invectivæ. Cum tempore tamen paulum iterum se exserere cæpit, & demum Seculi hujus Anno XXXVII publicâ auctoritate, velut Purgans, in Antidotaria receptum fuit. Nec dum omnia tamen in tuto, subrepentibus aliis atque aliis, qui rursum illud obelis configerent malèque multatum ad metalla relegarent. Atque tum, si unquam aliàs, fervere cæpit Academicorum studium, nec litium videbatur futurus finis, donec rursum Curia Parisiensis seculi

ver-

vertentis Anno L auctoritatem interponeret, & damnatum olim Antimonium postliminiò revocaret, facto decreto, Vinum Emeticum, hoc enim solo exsultant Galli, remedium esse Medicorum usibus permissum. Ubi Capito, an ergo, inquit, omnia nunc pacata & Antimonii seu Vini Emetici usus per Gallias concessus? Est, inquit, alter, legibus permissus; sed tamen adeo infeliciter eo hodieque plurimi in Galliis utuntur, ut quotidie ferè isti remedio mortes imputentur Medicorumque existimatio laboret. Cui Capito, mira, inquit, res eandem medelam alibi salutiferam, alibi noxiam haberi, & pro temporum conditione profuturum judicari, quod olim deleterium erat. Hic Vindicianus, id nolim, inquit, te torqueat, quando non Medicamen, sed error utentium, hanc varietatem induxerit. Quid enim, ut intelligas Gallos medicinæ hujus usum minime perspectum habere, aliud agunt, qui tum demum ad vinum Emeticum, velut ad sacram anchoram confugiunt, quando morbus in summo est aut vires vitæ alia omnia spernere videntur, quàm ut fracti corpori, quod reliquum est virium, detrahant, mortemque, quæ sæpe initio averti potuerat, violentâ concussione accelerent. Adeo propediem exspectandum, ut permissus pridem usus publicâ lege denuò inhibeatur communiaque tantum & Galenica omnem paginam faciant. Interpellabat hic Capito, & vides, inquit, cum periculo conjunctum esse Antimonii usum. Ubi velut indignam alter, si hoc, inquit, nomine rea erit medicina, quòd intempestivè adhibeatur, sanè innoxia quæque abutendo nocentissima fient & Artis ingenium peribit. Nunc autem, ut ad blandiora transeam eaque vegetabilia, annon perversus usus effecit, ut

famo-

famosus ille Cortex Peruvianus, China China dictus, nunc inclaresceret, nunc jaceret criminibus obrutus, quasi esset in eo, quod clandestinum febrium ignem foveret, oppresso duntaxat in speciem Paroxysmi fermento. Cum ergo primum ante hos XXXIV annos ex novo orbe mitteretur, tot illud remedium elogiis ornatum fuit tum à Gaudentio Brunacio, tum Chifletio, ut ad propulsandas febres unum hoc natum videretur: sed tamen cum tempore, uti omnium bonorum, ita hujus quoque medicinæ tædium incessit. Vix sustinuerat famam aliquot annorum, cum in deterius cedere inciperet medicaminis pridem adeo laudati usus, fortè, ut fieri cum annis solet, mutato febrium ingenio. Observatum tamen est, in quibus bilis erat tenuior sanguinisque major inflammatio, in illis Chinam Chinam inchoativum quidem aut παρεξυσμῶδες sanguinis fermentum correxisse, non tamen in totum semina febris extinxisse, redeunte ex occasione calore aut in continuum mutato; adeo plurimis suspecta visa est intercalaris valitudo, aliquando iterum tabifico calore expianda. Accedebat etiam Veteranorum auctoritas ex illo passim novi remedii criminationem aucupantium. Quare nolim mireris per quindecim, & quod excurrit, annos, ferè inglorium jacuisse medicamen emptoremque non invenisse. Hic Capito, atqui hoc, ait, levitatis argumentum esse puto Naturæque probrum, probatam pridem medicinam tam subitò deserere. Ad quæ Vindicianus, ut maximæ, inquit, & repentinæ laudationes sæpe in nugas abeunt, ita cum remediorum elogiis est comparatum. Medicamentum enim, si quod in uno feliciter cessit, mirificâ quâdam adulatione statim omnibus promiscuè commendatur, &

Panaceæ univerſaliſque medicinæ nomine effertur, ſed, cum invitâ experientiâ hoc nomen meruerit, facilè iterum in cineres obviaque vertitur. Eſt hoc vitium mortalium, ut præpropere nimis de viribus medicamentorum decernant. China China cum initio laudatorem reperiſſet, quamvis hoc quoque ad laudem ſufficeret, externum eſſe, ab omnibus ſtatim velut ſalutare & omnium febrium & nationum pignus evehebatur, adeo non ex Medicorum tantum arbitrio ſed & laudantium fortunâ commendatio ejus pendebat. Ergo, cum multi non habitâ corporis humorumque & privatæ temperiei ratione in ſanitatem impingerent, ad certos duntaxat febrium caſus aërisque qualitates utilis febrifugi nomen in ignominiam verſum eſt. Acceſſit fortè etiam ad invidiam innoxiæ aliàs medelæ Seplaſiariorum fallacia, in illo petentium numero & Corticis raritate ad hoc impulſorum, ut bonam per ſe medicinam adulterio fædarent, & Cortice Caryophyllato, & Ceraſino, & Acaciæ, quo adſtrictionem felicius æmularentur, & Galanga, & Gentianâ & Cinnamomo, aliisque minus cognitis. Oſtendit tamen etiam multiplex eventus, mutato morbi locique ingenio, uſum modumque propinationis variandum & ex hoc potiſſimum felicitatem ſanationis æſtimandam eſſe. Certè enim Angli, cum diu ſatis fruſtra laboraſſent in exercendâ hac febri, repertâ aliâ utendi formula jacentis pridem famam erexerunt. Hic Capito ſollicitus, quænam, inquit, illa formula à noſtrâ illa diverſa? Eſt, inquit alter, propinandi tempus & modus; namque non ſtatim ante Paroxyſmum, qui noſtrorum erat mos, ſed pridie & totâ intermiſſione doſin, non ſemel ſed per partes, eamque ſatis magnam,

ad

ad drachmas tres, quatuor & plures, propinabant, ſicque ut plurimum febrile fermentum ante formidatam acceſſionem jugulabant. At neque huic ſemper formulæ conſtitit fides, nam mutato morbi locique ingenio ad alia quoque tranſeundum erat. Igitur extulit ſe ante quatuor annos ex eâdem Angliâ homo novus, repentinus planè medicus, qui, cum ad alia obeunda munera vel animus deeſſet aut fortuna, magnum operæ pretium facturus videbatur, ſi certum aliquod & profuturum Quartanæ Tertianæque remedium vel reperire vel venditare poſſet, facilè proclivi ad credenda accipiendave quævis vulgo. Erat autem ille ſucceſſus, ut ſive ſuo ſeu alterius ductu, quemadmodum eſt in illis arcana quædam fatorum conditio, in præparationem inciderit aut condituram Corticis Peruviani, quæ cæteris omnibus facilè faſtum faceret, certè ſpecioſius promitteret auxilium. Itaque uno alteroque experimento in Anglia animatus, Lutetiam ſe contulit Pariſiorum, quod urbs illa in tantâ copiâ & varietate hominum ad quæſtum occipiendum imprimis idonea videretur. Vix ingreſſus erat urbem, quin rariſſimæ medicinæ elogium per Præcones indicaret. Nec mora, quin ad auditum novi Æſculapii miſeri deſertique quartanarii confugerent, periculum in ſe fieri tantum non exoptantes, & jam ſi precibus relictus eſſet locus, exoraturi. Ecce autem felicem initio ſucceſſum, &, ſive quod anni illud tempus eſſet aut favor cæli influentis, aut jactatæ medelæ prærogativa, omnes ex ordine percuratos. Hinc ſtatim totâ urbe rumor & commendatio hominis novi. Protrahitur ergo in Lucem & ad ſanationem Principum Virorum, imo & Sereniſſimi Delphini, admovetur eâ felicitate, ut medicus o-

 lim

lim diobolaris aut recoctus Pharmacopola magnâ auri vi, annuis reditibus, equestri ordine, miror, quod non & statuâ in foro, quæ Antonii Musæ fortuna fuit, donaretur. Hic periculum erat, ne Capitoni ilia solverentur, adeo effusè ridebat; paulum deinde ad se rediens, quid, inquit, de veris fiet dogmaticisque Practicis, si tanta Empiricis sunt constituta præmia. At nunc quale id fuerit remedium, scire discupio. Ubi Vindicianus, si de remedio, inquit, laboras, ipse ille est cortex, China China, sed vini adfusione commodè temperatus, uti certis hoc libris Galli designârunt. Hic ergò Empiricus collapsum jam pridem corticem totâ non tantum urbe sed omnibus ex Emporiis coëmit, effecitque, ut vile pridem abjectumque remedium magno addiceretur, & libra, quæ ante sedecim scutatis vendi poterat, nunc non nisi numeratis centum redimi posset. Atque ex illo Parisiis Chinæ Chinæ nova commendatio lautiorque successus, imprimis, postquam alia propinandi methodus sumendi facilitatem auxisset. Ad quæ Capito, miror, inquit, cur non hic in Septentrione quoque & alibi terrarum eodem rumore inclaruerit, cum non minus Quartanæ febres tum Medicos tum ægros exerceant. Cui Vindicianus, at multum interest, inquit, quo quid loco & tempore exhibeatur; id enim experimentis didici, ineunte æstate facilem esse in plerisque Quartanæ curam, cæli calore medicaminum vim adjuvante, atque eam ob causam in Italiâ Galliisque & securiorem esse & faciliorem tam lentæ febris sanationem: adeo famæ suæ benè consuluit notus Empiricus, qui & Galliam & vernum anni tempus experimentis suis destinaverit: magis verò etiam veterem & intercidentem pridem de viribus

viribus hujus Corticis opinionem confirmavit, quæ tamen metus est, ne mutato febrium temporumque, ut est in illis periodus quædam, ingenio denuo collabascat. Quod ipsum exemplo quoque aliorum ostendere possem, nisi ad finem spectaret oratio; Unum tamen alterumque necesse est in memoriam tibi revoces eorum quæ nostris pridem temporibus, & ortum habuere & occasum; cum hoc tamen discrimine, ut quo quid subitius emersit, hoc plerumque citius defecerit. Moxa illa, Chinensium quoq; soboles, laudatorem repererat Pastorem Bataviensem in India, ut qui usum in se expertus erat salutarem; statim ergo, quotidianâ causæ fallaciâ, velut universale quoddam remedium, facto in eam rem libro, orbi nostro commendat, & ne experiundi deesset occasio, plurima simul Moxæ exempla cum omni apparatu in Hollandiam transmittit. Advolant statim ad tot præconia avidi Podagrici, & magno redemtum peregrinum remedium adhibent. Jamque spondere initio unis alterisque solatium videbatur. At vix aliquot septimanarum mora, cum intelligerent, quam tam malè emerant Moxam, non morbi, sed Paroxysmi neq; id semper, esse levamentum; nunc etiam Lini cujusvis ardentis, quin & Cotonis vulgaris, eandem esse fortunam, ut ne in alium orbem propterea navigandum fuerit. Quid quod Alexandriæ in Ægypto notissima sit illa urendi methodus, designantibus eam accuratè & P. Alpino & Veslingio, utrisque testibus oculatis. Adeo fieri non poterat, quin cum tempore in contemtum adduceretur pretiosa pridem lanugo, & si conjectantibus fides Artemisiæ comosiori decerpta, prælatis jam & Lino & Cottone, partim domi natis, partim vilibus materi-

teriis. Verùm jam & alia, quæ ratio invenit utiliaque ostendit, nescio quo fato & quâ causâ, lentè iterum nos deserunt, & manibus eripiuntur. Aqua illa Styptica inventum Colonelli Gallici Dni. Vivient, quæ ipsum ubere argenti proventu ditavit, ante hos decem annos sola famam abstulerat. Postea quoque in Septentrione Boudetus quidam, & ipse Gallus, eandem Essentiæ stypticæ nomine, sparsis in vulgus elogiis, venditabat, non sine insigni quæstu. Sit autem valeatq; plurimum in subitâ adstrictione; at certè plurima etiam alia reperias non minoris compendii; quid quod Florentinorum experimentis & album ovi tantundem valere deprehensum sit. Jam autem, si tanta ejus est prærogativa, cur hodiênum elogia frigent? cur non utilitas illa, quam Serenissimus Rex in usum classis 5000 imperialibus redemit, in vulgum emanavit perstatque hodie? Jam & Rabelesii liquor Vulnerarius, tot etiam nummis elogiisque nuper probatus quàm non etiam tacitè elabitur de manibus? Olim Ceratum Cæcilii Folii instar miraculi Venetiis celebrabatur, ut cujus applicatione profundissima vulnera coire exemplis didicissent. At nunc clanculum gloria ejus intercidit, non minus ac Balsami Cæsaris Magati. Quantæ nuper in scholis de Transfusione Sanguinis rixæ, & quo non plausu exceptæ? Sed quæ initio tam vehementer nonnullis placebant, commissis de inventi gloriâ ingeniis, ab experientiâ, quam pridem habuerant faventem, deserta tandem in oblivia abiêre. Burrus, famosus ille Eques, jactabat olim secretum oculos collapsos & humoribus exutos restituendi; nec mora, quin statim testes inveniret laudatoresque omni exceptione majores; at postquam diligentiorum operâ

perâ constitit idem & aquam posse,& album Ovi,&,sine iis, solam Naturam, spes secreti eviluit, & ex illo vix nomen ejus auditum. Atq; hæc quidem pleraq; externa; idem tamen in internis probatisq; remediis ostendi posset,si tantum nobis esset ocii. Nunc id tantùm dicam vicissitudinis illius in plurimis causam videri,quòd,cum nimis intempestivis efferantur elogiis,neq; experientia perinde respondeat,in totum deinde despiciantur. Cui accedit, non statim, quod in Italiâ utile atq; commodum repertum est, idem esse in Galliâ, & quod in utrâque, non statim æque in Septentrione conducere,mutatis pro cæli ingenio Naturis. Ratione temporis id quoq; notandum, in eâdem gente ut victus variat, ut cæli non usq; constantis sunt motus, ut animi adfectus, quos temporum regit calamitas,ut morbi mutantur,ita nihil etiam esse constans in remediorum formulis, poscente identidem aliud temporum varietate De libidine Mortalium hoc quoq; jam ante monui,illis usitata vilescere,& novitatis studio alia semper peti atq; alia. Adeo non miror Capito,quin postliminiò revocatam Theam sua quoq; maneant fata,& periodus hæc,invalescente novo aliquo cumque magnis elogiis venditato remedio, tandem aliquando abrumpatur. Ibi Capito,quæ hactenus,inquit, de illâ fatorum serie remediorumq; successione disseruisti Vindiciane, ea talia sunt, quæ quotidiana monstrat experientia, quæq; humana levitas perpetua esse sinet,donec universalis cujusdam Elixiris potentia unà & palati morosioris fastidia & morborum ludentium species expiabit. Dixerat Capito, cum Vindicianus parato discessu,quin agè,inquit, in alium diem rejiciamus,quod reliquum est sermonis. Accepto omine uterq; invicem valere dixerat & vivere.

F I N I S.